UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Pars Qvinta. Christi patientis, in actibus quibusdam gestisve singularibus, imitatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-47123

Visual Library

PARS V.

Christi patientis, in actibus quibusdam gestísve singularibus imitatio.

CAPUT I.

Ad peculiarem certis in articulis Christi patientis imitationem, introductio.

OMnis vita Christi, Doctoris atque Ductoris nostri, Christiano homini ad imitandum proposita est: quia, ut ait S. Augustinus, *tota vita ejus in terris, disciplina morum fuit.* Etenim, sicut ratione personæ, Verbum est Patris, ipsissimáq; DEI Sapientia: ita etiam sese proinde gessit inter homines, ut quidquid aut per se ageret, aut in se admitteret, animata quædam esset honestæ vitæ regula, exemplum loquens, & viva ad optimum exhortatio. *De ver. relig. c. 16.*

Hinc enim & B. Apostolus sanguinis Christi aspersionem loquentē facit: & S. Augustinus Christi miraculis dat linguam suam, verbíq; facta vult nobis & signa & verba esse: & stabuli ejus atq; præsepis clamorem exaudit S. Bernardus, atq; in membris infantilibus, in lacrymis atq; vagitu, grande præconium quasi evangelizantis agnoscit. Qui rursum de ipsa Christi passione disserens: *Clamat clavus*, inquit, *clamat vulnus, quòd verè DEUS sit in Christo mundum reconcilians sibi.* Quin & ipsum Verbi Incarnati tempestivum silen- *Heb. 12. In Joan. tr. 24. & 49. Serm. 3. de nat. Serm. 61. in Cant.*

silentium, si quis aurem cordis admoveat, sentietur esse vocalissimum: quia, ut hic quoque ad quoddam Augustini dictum alludam, ubi etiam ut ovis silebat, ut pastor docebat. Adeò universè verum est vulgatum istud: *Omnis Christi actio, nostra est instructio.* In quo proinde novi testamenti supremo Pontifice veriùs ac certiùs eluxit; quod in figura requirebatur ab Aaronico: cujus sacræ tunicæ, teste B. Hieronymo, idcirco divino præcepto adjecta fuêre tintinnabula: *Ut gressus Pontificis, & motus, & universa vocalia sint: ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum.* ut ex ejus S. Doctoris mente refert noster Cornelius; seu prout uno verbo ipse Hieronymus; ut dum ingreditur egreditúrve, *totus vocalis incedat.*

Tr. 116. in Joann.

De vestib. Pontif.

Ep. 128. & in Ps. 132.

Veruntamen ejusdem Domini nostri acerba passio, ipsum, inquam, Christi flagella, plagas & opprobria sustinentis, in cruce pendentis, exhausti, morientis exemplum, propriâ singulariq; ratione imitationem à nobis exigit. Ad id (ut suprà dicebamus) speciatim nos hortante B. Petro Apostolo, dum ita scribit in priore sua epistola: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ut nimirum hæc ipsa vestigia, quæ in passione sua Christus impressit, & ipso etiam suo sanguine signavit, imitantibus vestigijs premamus. Nam (ut ait S. Augustinus) *quid est eum sequi, nisi imitari?*

1. Pet. 2.

De sanct. Virg. c. 27.

Neque verò ipsemet Redemptor, ijs qui sui sequelam imitationémve affectarent, sese aut apud populum concinnantem, aut magna quædam ac mira patrantem, sed patientem & crucem ferentem, in exemplum vitæ proposuit, dum disertè edixit discipulis; ut si quis post ipsum venire, (hoc est, peculiari imitatione prosequi sese) voluerit, tollat crucem suam, & sequatur se; & ipsum utique suum patibulum bajulantem, & cum cruce prægrandi, cæterorum agmen, quibus itidem cruces suas in humeros tollere, & eum ducem

Matth. 16.

ducem sequi animus fuerit, ad juga Calvariæ antecedentem.

Et sanè eadem Christi passio, omnium, quæ ille in vita docuit, aut fecit, aut pertulit, complexio quædam & tanquam contracta epitoma est; brevis illa quidem, sed præclara miniméq; obscura. Neq; profectò usquam alibi Salvator, tam multa, tam rara, tam ad sensus nostros permovendos efficacia, quam in passione sua protulit, virtutum non dicam heroicarum, sed divinissimarum, exempla.

Demum, uti morientium parentum suprema, seu dicta, seu facta, penitus insident in liberorum animis, infiguntúrq; memoriæ: ita dubium esse non debet; ea quæ dulcis parens noster, ultimâ illâ vitæ suæ parte, & tanquam extremo actu gesserit, extitisse hujusmodi, quæ idem dilectos filios suos, & assiduâ memoriâ tenere, & animo grato complecti, & sedulâ scilicet imitatione, vellet exprimere.

Ob hæc igitur visum est faciendum nobis, ut Dominicæ passionis certa mysteria, moribus nostris actibúsque præsertim accommodata, in hac quinta nostri operis parte, imitandi gratiâ proponeremus. Nos tametsi ea quæ parte superiori disputata sunt, eò tendere visa sint omnia, ut proposito nobis ob oculos Jesu crucifixo, tanquam archetypo, faceremus secundùm illud exemplar, adeóq; ex ejus imitatione libenter pati condisceremus: id tamen non nisi generaliter, & permixtè satis atque indiscretè perfectum est, neque ordine descendendo ad singula; aut partes ipsas divinæ passionis, ejúsve actus singulares, nostræ contemplationi subijciendo: cùm, ut efficax sit, circa res certas ac definitas versari debeat imitatio.

Cúmq; inter ea, quæ ad salutem ac perfectionem multùm conferunt, à B. Justiniano recenseatur, gustus operum Christi; ea sigillatim applicanda sunt ad sensus nostros, & familiari quasi ruminatione comminuenda, quò eorum intimus gustetur sapor, & ipsa in utilem animæ substantiam ver- *De obedient. c. 26.*

vertantur. Proindéq, idem S. Doctor alio in loco, commendat Christi Sponsæ solertiam: quæ (ut ipse ait) *ipsa quendam sibi componit fasciculum totius vitæ illius, quæ rumnando nutrit cunctos suos internos sensus.* Quò etiam facit, quod ait mellifluus Bernardus: *Dignum est enim* (inquiens) *& tibi multùm expedit, compati, commori, consepeliri passo mortuo, & sepulto. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vitæ Christiani.*

De casto cõnub. c. 23.

serm. 2. de cœn. Dom.

Hoc denique studium, quâ nobis constantiâ ac perseverantiâ tenendum sit, pulchrè declarat Abbas quidam in Vitis Patrum; exemplo canis leporem semel visum constanter persequentis, & ejus assequendi gratiâ, aspera quæque atque horrida ardore summo superantis. Sic etenim (inquit) *qui Dominum JESUM quærit, cruci indefinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad Crucifixum perveniat.* Sic ille.

l. 5. l. 7. n. 35.

Igitur ab oratione in horto usquè ad mortem in cruce, quasdam seligemus seu actiones seu passiones Domini nostri præcipuas, quæ aliquid habeant ad imitandum singulare, & ad quas proinde imitatione exprimendas, nos conveniat studiosiùs conniti. Insistemus tamen etiam hac in parte, consuetæ nobis ac familiari res istas tractandi rationi: ut neque ipsa passionis mysteria, in puncta (quod ajunt) seu certa capita exactè aut anxiè digerantur, velut in usum asceticæ commentationis; & tamen ita tractentur res, ut pronum sit ei cui lubuerit, certos exinde articulos deligere, eósq; vel suæ consuetæ meditationi velut materiam subijcere, vel ad aliam quamlibet liberiorem, & minùs adstrictam, spiritualem exercitationem transferre. Dummodo id existat denique, ut in omni rerum atque temporum articulo, sit nobis re ipsâ Christus patiens, exemplum vitæ, morum regula, patientiæ disciplina.

CAPUT

CAPVT II.

Imitatio Christi in horto Gethsemani Patrem orantis.

CUm tanta nobis sit orationis necessitas; & tamen (quod ait Apostolus) *quid oremus, sicut oportet, nesciamus:* præter interius Spiritûs sancti magisterium adjuvantis infirmitatem nostram, & pro nobis in nobis quodammodo postulantis, voluit Christus Magister noster in se ipso præbere perfectam quandam orandi formam; cujus imitatione si nos orationem nostram conformaverimus, omnes bonæ orationis partes impleturi simus. *Rom. 8.*

Præsens autem imitatio in quinq; præcipuè rebus consistet; attentione, reverentiâ, fervore, perseverantiâ, resignatione: de quibus sigillatim atq; ordine dicendum est.

§. I.

Quantam attentionem ad orandum Christus attulerit?

PRimo igitur loco *considera:* Benignissimum Salvatorem, cùm instante jam passione suâ, præ tædio, tristitia, angore animi pœnè deficeret, & ad mortem usquè conflictaretur; ad familiare sibi orationis solatium confugere voluisse: eáq; propter, discipulis reliquis longiùs jussis subsistere, tres duntaxat illos suorum arcanorum conscios, Petrum, Jacobum & Joannem secum adhibuisse, à quibus denique etiam *avulsus* sit, *quantùm jactus est lapidis*, ne quà suam ad Patrem precationem interpellarent, útq; ipse liberiùs, quæ ferebat animus, solus ad solum loqueretur. *Luc. 22.*

Elegit insuper solitudinem, non tantùm loci, sed etiã temporis. Ipsæ quippe tenebræ & nocturna silentia, attentionem orationi conciliant. Unde Dominum non in solitudine modò, sed etiam noctibus orare solitum sacri Evan-

Luc: 6. gelistæ significant: quò facit illud S. Lucæ: *Exijt in montem orare; & erat pernoctans in oratione DEI.*

Igitur, ex Salvatoris imitatione, hæc tibi inprimis observanda sunt.

Primò: In tuis anxietatibus, afflictionibus, mœroribus, ad DEUM per orationem recurrendum esse: non verò ut plerique hominum faciunt, qui aut acceptâ injuriâ, aut aliâ quâvis mœroris ac tristitiæ occasione oblatâ, solatij gratiâ, non ad DEUM suum refugiunt, sed cum hominibus dolorem suum communicant, qui illum potiùs exulcerent & exacerbent, quàm medicentur ac leniant: aut sanè in quavis desolatione vel animi ariditate constituti, ad vana solatia & sensuum oblectamenta convertuntur; deteliquentes DEUM (ut ait Propheta) fontem aquæ vivæ, & fodientes sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. *Jerem. 2.* Etenim certum est illud S. Augustini in psalmum 85. *Quocunque cor se converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit: unde dulcescat non habet, nisi levet se ad DEUM.*

Secundò: Ut oratio tua, prout oportet, attenta sit, necesse esse te separari à charis seu rebus, seu personis: juxta illud monitum Salvatoris: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* *Matth: 6.* Itaque divina meditari volenti, locus opportunus atque ab aliorum interpellatione secretus, deligendus & adhibendus est. Quomodo videmus summos contemplatores desertis locis & invijs solitudinibus usos & delectatos fuisse. *Mater enim orationis*, Damasceno teste, *est solitudo:* quasi ipsæ rupes, montes aut silvæ, artem DEUM orandi doceant, aut animus noster puriore æthere cœlóq; liberiore fruens, neque jam rerum alienarum occupatus imaginibus, faciliùs ad DEUM & cœlestia sublevetur. *Orat. de Transfigur:*

Sed quoniam non multùm juvat solitudo corporis, nisi adsit & solitudo cordis; idcirco etiam ab ipsis curis & soli-

solicitudinibus quotidianis abstrahendus & evacuandus est animus: quæ tametsi fortè necessariæ, tamen, dum ad precandum accedis, tantisper deponendæ & seponendæ sunt, atque Christi verbis, ipsis præcipiendum: *Sedete hic, donec illuc vadam & orem.* Aut certè, auctore S. Bernardo, æmulandum in re præsenti factum Abrahæ Patriarchæ, qui filij sui unigeniti sacrificium facturus in monte Moria, servis suis cum asino ad montis pedem remanere & expectare jussis, ipse solus cum innocente victima ad montis verticem adoraturus ascendit. Huc enim respiciens, & allegoricâ ratione eam rem exponens Doctor mellifluus, initio Libelli de Amore ita se ipsum adhortatur: *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea; venite, ascendamus in montem vel locum, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, labores, pœnæ servitutes, expectate me hic cum asino, corpore isto, donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hæc tamen alij tribuunt Guilielmo Abbati, ipsius Bernardi æquali & familiari: quibus, ut ad eam rem aptissimis, & nos uti possumus, attentionis conciliandæ gratiâ, cùm nos ad orandum componimus.

Tertiò: ut hanc ipsam attentionem à temet ipso impetres, necesse esse, vim aliquam animo tuo facias, vagos ejus motus, & insitam ad varia & aliena cogitanda propensionem atque pruritum, cohibendo. Exemplo Salvatoris, qui (ut loquitur Scriptura) à charis suis discipulis *avulsus est:* quâ loquendi formâ omnino significat, eum non sine aliquâ violentia & animi renisu, ab ijs quos præ cæteris diligeret, & de quorum præsentia solatium aliquod sperare posset, eo in articulo est abstractum.

Neque in ipsa oratione duntaxat animus hoc pacto in

officio continendus est; sed etiam ante orationem, illius motus componendi, & ipsum cor nostrum, quoad licebit, omni affectu inordinato liberandum. Alioqui enim teneri non poterit, etiam inter orandum, ne pro sua instabilitate ad ea quæ diligit aufugiat, & nos sine sensu ac gustu rerum, quas contemplandas susceperamus, relinquat. Id quod ubique suo experimento compererat Propheta Regius, qui subinde de cordis sui fuga quæritur; adeóq; post liberalia & ingentia Dei promissa, cùm totum cor suum in gratiarum actionem coram Deo effunderet, insolitâ quadam loquendi figurâ usus est, dicens: *Propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac*, ubi ingeniosè S. Augustinus: *Invenire* (inquit) *se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me.*

Psal. 39.

2. Reg. 7.

In ps. 85.

In hac igitur attentione inter orandum procuranda, uti magnum momentum, ita multa opera ponenda est: ne animo vanis cogitationibus abstracto atque distracto, pereat omnis contemplationis suavitas; quemadmodum scriptum est: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Quarum circa te volitantium & obstrepentium importunitate vexatus, cave eis cedas aut acquiescas, sed usquè constans in precandi studio persistas, ut quamvis per eas sapor obtundatur divinæ dulcedinis, non tamen omnino pereat fructus orationis.

Eccl. 10.

§. 2.

Quanta cum animi corporisq; reverentia precatus sit?

SEcundo loco *perpende*; quantam ad orandum reverentiam, tum interiorem, tum exteriorem Salvator noster attulerit. De exteriore (quæ etiam interioris effectus & indicium est) testes habes Evangelistas; quorum alter refert, eum in horto Gethsemani positis genibus orâsse, alter procidisse in-

in faciem ſuam: ut appareat, illum orationis initio abjeciſſe ſe in genua; tum, auctâ præſentis & offenſi Numinis reverentiâ, prono corpore humi abjectum, ſuper faciem ſuam procubuiſſe. Sive illum dicas, ſuſceptæ naturæ humilitatem agnoſcentem, ut de Moyſe legimus, faciem ſuam abſcondiſſe, non auſum intueri contra DEUM, aut etiam in terram procidiſſe, veluti (quod de ſe ait B. Job) pondus immenſum divinæ Majeſtatis non ferentem: ſive illum potiùs degravabat peccatorum totius mundi moles, ipſius tanquam humeris impoſita: eorúmq; ſanie ac fœditate quaſi dehoneſtatum in Patris conſpectu ſe contuens, præ verecundia nolebat vel oculos ad cœlum levare, quaſi eo nomine ac ſpecie, dignus non eſſet videre altitudinem cœli, aut Numinis irati non poſſet vultum ſuſtinere.

Matth: 26.

Exod: 3.

cap: 31.

Quæ nimirum tria, Patris inquam æterni, coram quo comparebat, majeſtatem ac potentiam; humanæ naturæ, in qua apparebat, & ſecundùm quam tractabat cum Patre, vilitatem atque infirmitatem; divinæ offenſæ, quam expiandam in ſe ſuſceperat, granditatem atque indignitatem; quò ille intimiùs profundiúsq; penetrabat, hoc ſe coram illo deprimebat magis, & majori pudore, confuſione, reverentiâ paternis ſe oculis repræſentabat. Quam proinde ſummam divini Numinis in DEI Filio Patrem deprecante reverentiam commendat Apoſtolus, dum ait: *Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſq; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quæ verba nonnulli etiam de oratione in horto intelligunt.

Hebr: 5.

Hinc autem, itidem in uſus noſtros, licebit in hunc ferè modum ratiocinari.

Primò enim, ſi DEI Filius, Dominus Majeſtatis & Rex gloriæ, *ſub quo curvantur qui portant orbem*, id cum tanta facit ſui circumſpectione, ſubmiſſione, verecundia, ut toto in

Job 9.

in terram curvetur corpore, & in faciem suam abjectus ac pronus jaceat, præ timore ac reverentia illius supremæ & infinitæ majestatis: quid nos inter precandum facere convenit, qui ad ipsum, etiam ut hominem comparati, nihil nisi vermiculi humi repentes, aut vilissimi culices sumus?

Et verò quid hoc tandem rei est? aut quæ ista facti vel cogitatûs insolentia? Pulvis & cinis affectat congressum Dei sui; imò (ut sic dicam) neque totum pulveris granum.

Sap. 11. Nam si, ut loquitur divina Scriptura: *tanquam momentum stateræ, sic est ante DEUM orbis terrarum:* si *omnes gentes*

Isai. 40. *quasi stilla situlæ, & quasi nihilum sic sunt coram eo, & insula quasi pulvis exiguus:* quota ego sum, aut quivis alius istius pulveris particula, istius stillæ portio, istius quasi nihili sectio? Et tamen plerosque videas in ejus conspectu, cujus gloriæ throno trepidi assistunt cœli Principes, & ipsi Seraphini vultum ac pedes alis obtegunt, quasi non sine pudore aliquo coram infinita illa majestate apparentes; videas inquam plerosq; mortales, incomposito corpore, erectâ cervice, inverecundo vultu, vagis oculis, alienis cogitationibus, aut fabulis etiam occupatos, ante Deum assistere, & ipsi quoq; divinissimo Sacrificio, quid istic sanè rei agatur, nihil pensi habentes, interesse. At ubi mens nostra, ubi sensus est? aut (ut id potiùs aptiúsq; cum S. Hieronymo dicam) *ubi fides?* Siquidem is Beatus Doctor, Christianorum ea in parte socordiam incusans, primam ejus mali originem

Dial. contr. Lucif. in Fidei languorem torporémq; refert, his verbis: *Ad orationem assisto. Non orarem, si non crederem. Sed si verè crederem, illud cor quo DEUS videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorresserem, ore pallerem, jacerem ad Domini pedes, eósq; fletu perfunderem, hærerem certè trunco crucis, nec priùs amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò* (subdit) *creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore disputo,*

puto, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? siccine putamus oráſſe Jonam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Addere possumus in rem nostram: *Sic Christum in horto?*

Secundò: Si idem ipse Dei Filius, quòd umbram præferret peccatoris, séq; alienis agnosceret specie tenus coopertum sceleribus, non audet vel oculos ad cœlum levare, neque stare in Patris conspectu, sed præ paterni vultûs reverentia, sese ejus oculis quodammodo subducere nititur, & tantùm non intra terræ sinum absconditur: in quam abyssi profunditatem nos proijcere debemus, cùm nobis coram Deo comparendũ est; qui non nomine tenus aut specie, sed re ipsâ veris & magnis & plurimis infecti criminibus, ac propudiosè contaminati sumus? Nam si (quod jam proximè dicebamus) ut puri videamur & innocentes, tamen ipsâ naturæ nostræ conditione, ob infinitum ejus à prima illa & infinita substantia recessum, quasi nihilum sic sumus coram Deo: cùm jam per quamlibet admissam culpam, uti commentantur SS. Doctores, ad nihilum rursus redacti, profundiúsq; in nihili abyssum devoluti, & tanquam minùs nihilo facti sumus; quid tandem nostri superesse, vel quo apud Deum nos loco fore arbitremur; aut quâ specie formáve deniq;, in divinis oculis apparituros existimemus? Sanè id unum restare videtur, ut ex Sancti Ignatij meditatione, inspectâ corruptione mei totius, summo pudore atque horrore confusus, in Dei conspectu *me tanquam* putens *ulcus*, *sive* horribile *apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tanta vitiorum lues defluxerit.* *Med. de peccat.*

Tertiò: Proinde ad reverentiam divini Numinis in ejus præsentia conciliandam retinendámq;, ante orationem præparandus est animus, & quis, ad quem, quamobrem accedas, diligentiùs cogitandum. Quam in rem utile ejus-

Addit. ad 1. hebd. jusdem S. Ignatij monitum est: *ut à loco futuræ meditationis uno vel gemino adhuc passu distans, animo sursum elevato, considerem Dominum meum JESUM, ut præsentem & spectantem quidnam acturus sim; cui reverentiam cum humili gestu exhibere debeam.* Quasi videlicet illis me incitem Prophetæ

Psalm. 94. verbis: *Venite adoremus & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino qui fecit nos: quia ipse est Dominus DEUS*

cap. 10. *noster.* Scitè quippe dictum est à B. F. Ægidio Assisiate, quod inter aureas ejus sententias circumfertur: *Qui nescit orare, non cognoscit DEUM.* Qui enim Dei infinitam Majestatem, bonitatem, justitiam, pulchritudinem, suavitatem, & tot alias timoris, reverentiæ, fiduciæ, amorisve causas aliquatenus perspectas habeat, suámq; cum illis abjectionem, infirmitatem, malitiam comparet, earúmque rerum notionibus imbutam mentem ad meditandum adferat; huic profectò inter precandum, neque reverentia attentióve animi deerit, neque Sanctorum affectuum argumenta deficient; sed omni animi abductione & aberratione seclusâ, orationis suæ desideratum fructum inveniet.

§. 3.

Quantâ animi devotione atque fervore oraverit?

Tertio loco attende: quantâ animi devotione, contentione ac fervore oraverit. Quod ex his possumus non difficulter intelligere. Primò; ex illa tum interiori tum exteriori reverentia, quâ se ad orandum composuit, & per omne tempus, quod orando insumpsit, retinuit. Secundò: ex illis crebrò iteratis ad Patrem aspirationibus, animi concitati atque inflammati indicibus: *Abba Pater; Pater mi; si possibile est, &c.* Tertiò: ex eo, quòd creditu promptum sit, eum multo cum fletu & calidis lacrymis orâsse: quando & præ animi teneritudine, indolisq; benignitate, videtur ad fletum naturaliter fuisse proclivior, & ea jam oculis obversa

versaretur rerum species, quæ etiam è corde durissimo, & quantumvis invitis oculis, copiosas lacrymas posset extundere. Et profectò cùm eo in articulo præ affectuum vehementia, sudore sanguineo maduerit, & membris omnibus sui corporis quodammodo lacrymatus sit, existimare non possumus, solos ei oculos siccos & proprij humoris expertes fuisse, ac non potiùs lacrymis etiam sanguineis manâsse. Quod licet sacri Evangelistæ tacuerint, nobis tamen intelligendum reliquêre: quemadmodum nec ab ijs scriptum est, Christum in cruce orâsse cum lacrymis; quod tamen constat ex Pauli verbis §. 2. relatis; nisi quis hæc ipsa cum S. Thoma malit de præsenti oratione in horto intelligere. Quartò, ex illa agonia & compressione cordis, quâ ex ea lucta & variarum atque inter se pugnantium affectionum conflictu subijt: quando (ut post Thaulerum meditatur Ludovicus Blosius) dulcissimum cor Salvatoris in quodam veluti timoris & amoris prælo compressum & quasi oppressum est; timore nimirum infernè, amore autem supernè illud comprimente. unde ille pretiosus liquor cruenti sudoris expressus sit. Postremò, ex eo quòd (ut scribit S. Lucas) *factus in agonia prolixiùs orabat*; adeoq; ardentiùs & contentiùs; quò videlicet se adversùs insurgentes motus potentiùs firmaret, ac sese paternæ voluntati plenâ denique atque integrâ animi propensione subijceret. *Explic. pass. c. 2.*

Ex quibus sanè proclive erit pauca hæc præcepta colligere. *Primum:* Quâ mentis devotione, quo ardore animi par sit, nos in Deum ferri, quando apud eum salutis nostræ negotiũ orando pertractamus, cùm Redemptor noster non tam suam quàm nostram apud Deum Patrem causam agens, & exemplo nobis orandi formam præbens, tantâ animi contentione & affectione cordis oraverit. Quâ argumentandi ratione alibi utitur S. Ambrosius, in sextum Lucæ caput sic scribens: *Species tibi, Christiane, datur, forma præ-* *L. 5. in Luc.*

scribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet; quando pro te Christus in oratione pernoctat!

Alterum: Instante atque urgente tribulatione, hoc acriùs nobis ac ferventiùs orationi esse insistendum. Neque tantùm Salvatoris exemplo, qui factus in agonia prolixiùs orabat; sed etiam ex Regij Prophetæ imitatione; cujus in angustijs periculisq; deprehensi, plures sunt psalmi, ardentium affectuum varietate, & intentis in Deum suspirijs refertissimi.

Postremum: quod itidem monent asceticæ disciplinæ Magistri: cavendum esse diligenter, ne mentis tenebris, ariditate cordis, desolatione spiritûs occupatus, vel studium orandi remittat, vel à bene cœptis resiliat, vel etiam, quæ priùs fuerant rectè constituta, convellat: cùm potiùs eo tempore expediat, (ut rursum verbis utar S. Ignatij) *proveniri & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt: qualia sunt* (inquit) *insistere orationi & meditationi, ac pœnitentiæ aliquid assumere.* Sic ille, in regulis, quas de motibus animæ, quos diversi excitant spiritus discernendis, præclarè scripsit.

Reg. 6. ad mot. anim. &c.

§. 4.

Quantâ constantiâ in oratione perseveraverit?

Q*Varto loco vide* mitissimi & afflictissimi Jesu insignem in orando perseverantiam. Erat illi cœlum æreum, & terra ferrea: clamabat, nec exaudiebatur; & ille Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, mutatus ei erat in crudelem. Neq; tamen quicquam remittit de precandi instantia, quin adeò prolixiùs orat; ut non improbabile sit, quod quidam hoc loco sentiunt, eam Christi Domini precationem tres circiter horas tenuisse. Jam enim (inquiunt) horæ spatium orando exegerat, cùm ad discipulos primò adijt, eósq; suaviter increpuit, quòd non potuissent

Job. 30.

issent unâ horâ vigilare cum illo. Cúmq; S. Matthæo teste, post hanc & alteram discipulorum visitationem, relictis illis, abierit & oraverit, tertiò eundem sermonem dicens; non absurdè credemus eum, huic iterum ac tertiò repetitæ orationi, tantumdem temporis singulatim tribuisse: quo pacto universa ejus oratio tres circiter horas tenuerit; in ingenti illo tædio, pavore, angore afflictissimi cordis; cùm interim ipsi, quos (ut in propinquo discrimine) vigilare & orare jusserat, discipuli, mœrore gravati somno cederent, & vel nullam, vel certè exiguam temporis partem orationi dedissent. Verùm quod ad ipsam orandi instantiam ac perseverantiam attinet; constat Christum interdum orando totas noctes traducere solitum; quia, ut superiùs ex S. Luca diximus: *erat pernoctans in oratione DEI.* Totum etiam tempus, quo inter extremos cruciatus, & summam virium defectionem pependit in cruce, orationi dedisse credibile est: cùm & identidem, sive pro crucifigentibus se, sive pro se ipso interpellaret Patrem; modò se ab eo derelictum blandè conquerens, modò injunctum sibi opus humanæ redemptionis consummatum attestans, modò spiritum suum in manus ejus commendans; ac per ipsa etiam silentij sui intervalla, tacitâ cogitatione, sese DEO in victimam offerens; ut qui intelligeret, sese in opere omnium divinissimo, & in sacrificio post homines natos solennissimo, atq; æterno Patri acceptissimo, versari.

Sanctus quidem Hieronymus, in psalmum 21. cujus initium est: *DEUS, DEUS meus respice in me, quare me dereliquisti? Hoc versiculo* (inquit) *Dominus in cruce pendens usus est: ex quo animadvertimus, totum psalmum à Domino in cruce posito decantari.* Quem ille psalmum, passionis suæ adjuncta omnia propheticè describentem, eóq; longiusculum, non utique transcursim recitaverit, sed cum speciali animi reflexione ad membra singula, & eâ quam psalmus

suggerit, multiplicium affectuum varietate. Nec desunt qui priora illa cum istis extremis Christi verbis comparantes, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; suspicentur illum, totos decem psalmos, qui nimirum à psalmo 21. usque ad 30. ex quo extrema illa desumpta sunt, in libro Psalmorum seriatim proponuntur, meditando percurrisse. Quod tamen videtur tum factu, tum creditu difficile; cùm ex SS. Marco atque Matthæo habeamus, Christum priora illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? horâ nonâ, aut circa horam nonam*, adeóq; sub extrema vitæ suæ momenta, pronunciasse.

Guil. Dur. l. 6. c. 77.

Cæterùm inspectâ perseveranti Salvatoris nostri, per amara illa tædia, letalésq; animi angores, in appellando Patrem atque deprecando, constantiâ. *Primò:* Inculcemus ea in parte torporem nostrum; ut qui vix horulam unam valeamus piæ meditationi constanter insistere; & si res ex voto minùs succedat, ad orationis horæve finem, quasi hæc æquo sit longior, identidem respectamus.

Non sic Redemptor noster, qui (quod sæpiùs inculcari est pretium operæ) in agonia positus prolixiùs orabat: nec verò ullo tædio victus, ad discipulos semel iterúmq; visendos conversus est; sed ita suadente charitate, & paterna de illis solicitudine; quò nimirum eos, adversùs instantem tentationem, secum orare compelleret, & imbecillæ carnis infirmitatem, mentis ac spiritûs promptitudine supplere.

Secundò: proinde studeamus & nos, omni torpore excusso, in meditatione precationéve semel susceptâ perseverare: ne Dominum nostrum in agonia solitarium destituere videamur; audiamúsq;, quod audierunt discipuli: *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Eámq; ob rem, si quando vel corporis torpor, vel mentis ariditas, orandi nobis tædium ingeret, expediet interdum fortassis horariâ clepsydram, si in promptu sit, ad pedes Crucifixi deponere, eiq;

eiq; amanter dicere: Domine Jesu, ob amorem tuum, & ob memoriam prolixæ illius orationis, quam tædio, tristitiâ, mœstitiâ, pavore, & mortifero angore oppressus, fudisti in horto Gethsemani, & per quam instanti tuæ passioni prolusisti: Volo, cum auxilio gratiæ tuæ, totam horulam hanc in oratione tecum vigilare: neq; ab hoc studio avertet me præsens tædium, hæc mentis sterilitas aut desolatio; quin potiùs juvabit me tibi eâ ratione, aliqua ex parte similem esse, & velut in consortium tædij tui atque angoris venire. Etenim quantula est hujus meæ tristitiæ ac desolationis guttula, ad abyssum agoniæ tuæ, ad letalem sudorem, ad globos sanguinis rivorum instar decurrentes in terram?

Tertiò: Si nobis, aut alijs rebus, aut corporis mentisve infirmitate præpeditis, otium non suppetit, vel non est animus, prolixiori rerum divinarum commentationi vacare: ejus rei defectum crebris ad Deum suspirationibus, & in cœlum intentis devotæ mentis jaculis, omniq; adeò bonæ operationis instantiâ, compensare satagamus: ut vel sic illud impleamus, ad quod Christus, non solùm facto præivit, sed etiam verbo nos informavit, dicens: *Oportet semper orare, & non deficere.* *Lucæ 18.*

§. 5.

Vti omnem suæ voluntatis propensionem, Patris voluntati amanter ac plenè subjecerit.

Postremo loco considera: quem denique fructum Redemptor, ex sua illa tam attenta, supplice, ardente, perseverante, & omnibus partibus bonæ orationis instructâ precatione, collegerit: nimirum plenam atque integram sui (uti appellant) in manus Patris resignationem; & summam mentis ac voluntatis suæ, in re omnium difficillima, in profundo inquam passionis suæ calice de manu Patris suscipiendo, & tot illis seu doloribus seu opprobrijs pro mundi salute

lute exhauriendis & exantlandis, cum divino nutu consensionem. Hinc enim sunt illa: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Veruntamen non mea voluntas, Pater, sed tua fiat.* Itaque, qui priùs ad orandum quàm accederet, necis imminentis horrore pavidus, tristem se dicebat usquè ad mortem, & ipso orationis principio naturæ propensioni nonnihil concedens, calicem passionis à se amoliri nitebatur; nunc orationis beneficio confirmatus, eáq; repressâ (quam ad utilitatem informationémq; nostram in se tantisper admiserat) pavidæ carnis infirmitate, ecce ut intrepidè occurrit periculis, & in ipsa inimicorum tela ultrò se quodammodo induit, atque ad idem audendum discipulos provocat, dicens: *Surgite, eamus; ecce appropinquavit, qui me tradet.* Perinde acsi rursum diceret, quod extremo sermone sub egressum è cœnaculo illis denuntiârat: *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc.* Quonam autem, Jesu dulcissime, nisi ad vincula, ad contumelias, ad colaphos, ad sannas, ad sputa, ad flagella, ad coronam spineam, ad crucem, ad vulnera, ad mortem? ô diei unius iter immensum! Veruntamen vel sic eamus, inquit, ut eo insigni documento mundo demonstrem, quali tum amore, tum observantiâ prosequar Patrem, útq; illius divinum beneplacitum, quantumvis aspera & à carnis sensu abhorrentia proponantur, rebus omnibus, ipsíq; adeò vitæ meæ, anteferam. Quamobrem Henricus Harphius ascetam suum, ad agoniæ Christi (cujus item imagine, uti & sepulturæ Dominicæ, specialiter capiebatur S. Carolus Borromæus) accuratam contemplationem provocans: *ibi namque* (inquit) *nudus amor, sine omni refrigerio spiritualis consolationis, in tam horribili colluctatione tam magnificè triumphavit.*

Matth: 26.

Joann. 14.

L. 3. Theol. Myst. c. 26.

Hinc discemus *primò:* quanta sit orationis efficacia; quæ utique tempestivè adhibita dolores levat, mœrores abstes-

tergit, umbras discutit, terroribus vanis atque supervacuis liberat, dejectos animos erigit, languentes corroborat, labantes confirmat, inclinatis adminiculatur, vires suggerit, mentem erudit, affectus convertit atque immutat, & ad ea quæ priùs reformidabamus, audentes nos ac promptos facit, denique quibusvis periculis, laboribus, supplicijs, ipsáque morte superiores fortiorésq; reddit.

Secundò: quidnam sit, quod potissimùm debeamus in oratione spectare, quò omnes conatus actúsq; nostros dirigere, & ad quem denique tanquam scopum, universam vitæ spiritualis exercitationem referre: videlicet, ut pro supremi Numinis amore ac reverentia, nosmet ipsos in omnibus abnegantes, voluntatem nostram divino ipsius beneplacito subjungamus, idem velimus, idem nolimus per omnia, nihílq; de nobis, sive pro tempore, sive pro æternitate anxiè soliciti, nos totos in eum, ejúsq; adorandam & amabilem providentiam, proijciamus ac consignemus, eíq; tandem amore puro & casto adhærentes (quæ Apostoli phrasis est) unus cum eo spiritus efficiamur.

Quem conformitatis consensionísq; cum Deo gradum qui attigerit, intelligat sese ad summum Christianæ virtutis & religiosæ perfectionis apicem, ad pacem animi supremam & imperturbabilem, quin etiam (quoad mortali fas est) ad beatæ vitæ consummationem pervenisse.

Tertiò: Ad hunc tam sublimem virtutis ac perfectionis gradum, non posse absque pugna, sudore & sanguine deveniri. Quippe nobis ipsis adversùs nos ipsos pugnandum est, extinguenda in nobis peccati cupiditas, extirpanda vitia, coërcendi contumaces affectus, amor ipse nostri adversùs spiritum & Deum rebellans, & quo Dei Amor nullum habet hostem inferiorem, expugnandus & proculcandus est, novus homo, vetere exuto & abdicato, induendus; breviter, nihil penitus nostri, hoc est, quod ut nostrum

& no-

& nostri gratiâ, non autem ut Dei & ipsius causâ, amemus, in nobis vivere permittendum: sive (ut nonnulli dixêre, cum aliqua quidem exaggeratione, sed ad rem oculis subjiciendam appositè, Theologiæ mysticæ Doctores) nulla in nobis restare debet gutta sanguinis, quæ non sit divino amore excocta.

Suso serm. 4. Blos. inst. sp. c. 7. Eckardus apud Thaul. &c.

Quæ sanè, nimisquam fallitur, qui putaverit, opus (ut ita dicam) unius diei, aut defunctoriæ operæ laborem esse, aut absque agone, lucta, vulnere, evinci & obtineri posse. Veruntamen devota voluntas cum divina gratia potest omnia; & pedetentim ac passim progrediendo, ascenditur etiam ad summa. Quare quotidiano orationis studio, & abnegationis sui exercitio, naturæ pravitas parte aliquâ vincenda & emendanda est, quò sensim discat esse subjecta; déq; homine veteri, & inolitâ nobis vitiorum rubigine, aliquid assiduè deterendum: habendúmq; præoculis opportunum in præsens, præceptum S. Francisci Xaverij; qui, ut proditur in ejus vita: *Socios identidem admonebat, ut semet parvis in rebus vincere assuescerent: ita demum magnorum certaminum fore victores.*

L. 4. Vit. c. 9.

Atque isti ferè sunt fructus, quos ex horto Gethsemani, & memorabili in illo Christi oratione colligendos putavimus.

Capvt III.

Imitatio Christi circumducti per vias Jerusalem.

§. 1.

Christi per vicos & plateas raptati consideratio.

Cum, ut principio hujus quintæ partis diximus, omnis Christi actio, nostra sit instructio; & vel fimbria vestimen-

ſtimenti ejus ſalutari contactu adhibita, hoc eſt (ſicut licet interpretari) etiam extrema ac minima ſacræ ejus humanitatis operatio piâ meditatione tractata, multùm valeat ad curandas noſtras infirmitates: poſſumus & ex his Salvatoris noſtri itineribus, nonnulla ad uſus quotidianos ſalutaria deducere, & ad propoſitum nobis exemplum, mores noſtros utiliter informare.

Inprimis igitur conſiderabis, quemadmodum benigniſſimus Jesus, ab inſolenti lictorum ac ſatellitum turba, non tam circumducitur, quàm ultro citróq; de tribunali ad tribunal, raptatur per vicos & plateas Jeroſolymæ; quo militum clamore; quo populi undiq; confluentis concurſu; quàm varijs ſpectantium aut comitantium affectibus: dum alij mirantur tantum Prophetam tam barbaris & indignis tractari modis; alij, & plures, ſeductorem, veneficum, ſacrilegum inclamant; alij, & pauci, ut in tanto numero, atteſtantur ejus innocentiam, & ſubitam rerum converſionem, hominisq; ſanctiſſimi vices, ac ſortem iniquam miſerantur. Inſere te quoque ei comitantium turbæ, & præeuntem Dominum devotis veſtigijs aſſectans, ea quæ geruntur, attentiùs contemplare.

Inſpice præſertim, quo inter hæc habitu Salvator, quàm modeſtâ atque honeſtâ (quantùm ei quidem per militarem inſolentiam licebat) totius corporis compoſitione proceſſerit: quâ verecundiâ, quo pudore ſuffuſus, non tam ob ſannas & opprobria, quibus undique atrociter impetebatur homo manſuetiſſimus & innocentiſſimus, quàm quòd ante oculos Patris irati compareret, portans iniquitates noſtras, & tanquam hircus emiſſarius, populi peccatis & imprecationibus onuſtus, per urbis vicos circumduceretur, mox eijciendus extra caſtra, & veluti in ſolitudine ferarum dentibus ad certam mortem obijciendus. Itaq; vultu rubore confuſo, quòd ſpeciem ac perſonam peccatoris gere- *Levit. 16.*

ret, humi obversos tenebat oculos, nisi quòd subinde illos sustollebat in cœlum; id præsertim agens atque contendens, ut Patrem suum mundo placaret, & suâ illâ confusione, ab æterno nos opprobrio & confusione liberaret.

§. 2.

Nonnullæ ad eam imitationem opportunæ præceptiones.

ERgo ad nonnullam Redemptoris tui in re proposita imitationem, ista quæ subijcimus attende.

Primò: Quando procedes in publicum, id eâ tui circumspectione, eâ corporis ac vultûs compositione, facito; quasi Christum Dominum per vias Jerosolymæ circumductum, aut jam crucem suam bajulantem, comitaretis; æmulari studens illius insignem modestiam, quam ita commendat Apostolus, ut per illam Corinthios obsecret, dicens: *Obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* 2.Cor. 10.

Secundò: Procede cum interiori mentis confusione, memor peccatorum tuorum, quibus & æterna inferni supplicia meritus es, & causam præbuisti tot supplicijs ac doloribus, ipsiq; adeò amarissimæ morti Domini ac Dei tui.

Finge peccata tua atq; imperfectiones toti mundo notas, & te ut hujus istiúsve vitij fœditate conspicuũ ab omnibus notari. Quemadmodum de B. Francisco Borgia accepimus: qui cùm ab inferni meditatione recens veniret, solito tristior per vias incedere visus est; quòd omnes crederet, se tanquam hominem ab inferis existentem intuen. L.4.Vit.c.1.

Aliàs (quod huc quoq; pertinet) finges te, ut reum & scelerum tuorum vinculis constrictũ ad tribunal duci divinæ Justitiæ. Quod quidem re ipsâ verum est, si rectè attendimus: quandoquidẽ hæc vita mortalis, nihil nisi via sit, primùm ad mortem, deinde ad divinum judicium: tametsi ea via fortassis aliquantò longior est futura. Ut igitur reus qui ad Judicis tribunal trahitur, incertus de vitæ mortisve sen-

tentia, inter eundum non petulanter lascivit, aut insolenter exultat, sed vultu dejecto & mente solicitâ incedit, nihil admodum solicitus, quid ab alijs rerum agatur, sed unum id cum animo suo versans, quem tandem res suæ exitum videantur habituræ: ita te convenit, tanquam reum ad Dei tribunal raptatum, rerum alienarum, aut omnino eorum, quæ mundi sunt, incuriosum pertransire, & solicitum ambulare cum Deo tuo; id seriò tecum reputantem, quem viæ tuæ terminum tandem habiturus sis, aut quam rerum tuarum rationem supremo Judici redditurus.

Ita porrò fiet, ut per vias incedens, neque oculis malè curiosis videas vanitatem, neque superbè te efferas, neque inaniter joceris aut exultes, nec denique noxia aut vana & stulta cogites; sed cum verecundia & modestia Christiana vias obiens, & vel gressus tuos cum Christi gressibus conjungens, vel aliud quidpiam salutare mente pertractans, quot humi passus figes, totidem ad cœlum gradibus te promoveas.

Tertiò: Hæc tibi præsertim dicta existimes, si vitam religiosam, aut perfectionis studium profiteare. Æquum quippe est in tuis moribus, ipsóq; vultu atque externa specie elucere quiddam, quo præ cæteris agnoscaris Christi discipulus; atque ex illius imitatione, omnis tua actio intuentium sit instructio. Ut enim rectè S. Ambrosius ad illud Psalmi: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: Pleriique* (inquit) *justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus autem lætitia.* Qui proinde subdit, aspectum justi admodum esse salutarem, & vel ipsos oculorum radios virtutem quandam videri intuentibus infundere. Idq; speciatim valuisse in Magno Antonio testatur S. Athanasius, dicens, quòd etiam qui ejus esset ignarus, *nullo indicante ad Antonium currebat, & animæ puritatem agnoscebat in vultu, & per speculum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur.*

Serm. 10. in ps. 118.

Vitæ c. 40.

Igitur instar Sanctorum illorum, qui (ut in Apocalypsi legimus) sequebantur Agnum, *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*; in omni via tui Agnum sequere, eáq; tum interioris tum exterioris hominis modestiâ & compositione procede, ut qui te viderint, in fronte tua, hoc est, in ipsa externa specie, legant inscriptum nomen Agni, & nomen Patris ejus; hoc est, agnoscant, quòd specialiter Christi crucifixi sectator sis, & per omnia divinæ gloriæ exaggerandæ studiosus.

Apoc. 14.

Hoc ut assequare (quoad licebit) inter vias animum sanctâ aliquâ commentatione occupa. Imitare Sponsæ solertiam, quæ etiam per vicos & plateas quærit dilectum animæ suæ. Habe semper JESUM præ oculis, & amabilem sacræ ejus humanitatis speciem, quocunque perges, tecum circumfer. Attende illum (ut dicebamus) modò ut procedentem ad hortum Gethsemani, animo mœstum atque pavidum; modò ut probrosè distractum ad Annam, Caypham, Pilatum, Herodem; modò ut onustum oppressumq; feralî ligno, ad locum supplicij raptatum.

Speciatim autem, quando ad Missæ Sacrum te conferes, compone te, ut unum ex amicis Christi, aut sanctis mulieribus, quæ eum pergentem ad collem Calvariæ, pijs gressibus ac lacrymis prosequebantur. Cogita item, afflictissimus JESVS crucem bajulans inter vias tibi occurrere, annon cum bona Berenice, divinum ejus vultum, sudore, fletu, cruore confusum, oblatâ sindone, quoad ejus fieri posset, libens abstergeres? At enim ecce tibi occurrit in isto paupere: ejus laborē & inopiam, Christi intuitu, promptâ stipe subleva: & aliquatenus, madentem vultum Domini ac dilecti tui, sudario tersisti.

His aliisve ejusmodi pijs cogitationibus & affectibus, Christum per vias Jerosolymæ deductum, assectari & imitari poteris: sic tamen ut ista, velut sub manu, & ex ipsa re-

nasci

nasci debeant, non autem ut ullâ violentiâ convexetur animus, cum periculo obtundendi capitis, aut valetudini incommodandi.

CAPVT IV.

Imitatio Christi ab Herode spreti atque illusi.

DE hoc ita paucis Evangelista: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ*: ubi binæ istæ voculæ magnum profectò pondus habent: *sprevit, illusit*. Nam publico tanquam præjudicio, spernitur DEUS Majestatis, Sapientia DEI illuditur: quæ prætereunda visa non sunt absque aliquâ propriâ consideratione. *Lucæ 23.*

§. I.

Conditionum rei propositæ expensio atq; æstimatio.

PErpende hîc primò: Mansuetissimum Redemptorem nostrum in passione sua, omni in loco in quo versatus est, atque ab omni hominum genere inter quos versatus est, spretum, illusum, derisúmq; fuisse; etiam his locis & ab his personis, in quibus, aut à quibus nullum alioqui specialem cruciatum acceperit: cùm tamen è contrà, uti tangetur in sequentibus, omnibus ipsius cruciatibus ignominia implexa fuerit. Ut non temerè dici possit, Christi Domini passionem ac crucem, generaliùs ac potiùs contumeliâ atq; dolore constitisse.

Itaque & in horto Gethsemani fœdo osculo à discipulo proditur, quasi latro vincitur; & in Cayphæ domo, *qui tenebant eum* (inquit S. Lucas) *illudebant ei cædentes*; *& Herodes* (in quo nunc versamur) *illusit indutum veste albâ*; atque in Præsidis prætorio, *genu flexo illudebant ei*; in cruce deni- *Lucæ 22.* *Matt: 23.*

denique (ut ipsis Evangelistarum verbis rem explicare pergam) *prætereuntes blasphemabant eum; & deridebant eum Principes; & summi Sacerdotes; illudebant autem ei & milites; id ipsum autem & latrones improperabant ei.* Enu omni loco & ab omni conditione mortalium, à discipulis, à ministris, à militibus, à latronibus, à prætereuntibus, à Scribis, à Sacerdotibus, à Principibus, à Regibus, DEI Filium nostrâ causâ spernitur, illuditur. Ut proinde rectè Simon de Cassia dicat, ad profundum contemplationis nostræ pertinere, *quòd divina Sapientia voluerit reputari stultitia, & potentia, infirmitas; ut ipse Christus fieret opprobrium hominum, & abjectio populorum, & derisio Regum.*

Matth: 23. Marc. 15. Luc: 23.

L. 13. de pass.

Perpende secundò: Quàm acerbum fuerit Christo Domino illud toties repetitum exaggeratúmq; (atque id præsertim, quod in Herodis regia pertulit) illusionis opprobrium. Nam cùm inter omnia quæ adversa contingunt, viro cordato ac generoso, etiam præ quovis cruciatu corporis, acer sit ignominiæ sensus (quò illud spectat verbum prisci Poëtæ: *Patior facilè injuriam, si est vacua à contumelia*) tum præsertim illudi grave est, hoc est, per contempti aliorum ludum fieri. Ideóq; passionem suam discipulis prænuntians Salvator, speciatim ac proprièillusionis meminit: *Tradent eum gentibus ad illudendum*, ut Matthæus; *Illudent ei & conspuent eum*, ut Marcus; *Illudetur & flagellabitur*, ut Lucas expressè annotârunt.

Pacuv.

Matth: 20. Marc: 10. Luc: 18.

Atque id potissimùm verum est, cùm res agitur hujusmodi, ut quis pro fatuo sese despici intelligat, eóq; nomine sese aliorum ludum & jocum esse sentiat: quandoquidem & nuda fatui appellatio, de Salvatoris sententia, supremi quoddam contumeliæ genus esse videtur. Et sanè cùm juxta Sapientûm definitionem, ipsâ ratione differat homo à bestijs: qui ut rationis ac mentis inops cæteris habetur despicatui, is de hominis gradu quodammodo deijci, & ad

Matth: 5.

bruto-

brutorum classem ac tribum amandari videtur. Quamobrem invenientur fortassis, qui cætera etiam animi vitia, morúmq; probra, objectari sibi non ita ægrè sustineant, cùm subinde sint, qui de his etiam per vecordiam glorientur: attamen ut fatuum alijs esse deridiculo, ut prudentiâ sensúq; carentem, in hominum ore atque existimatione versari, eóq; vel vulgi fabulam, vel cæterorum ludum fieri, id quidem nemo est aliquantò cordatior, qui (humanitùs loquendo) æquo animo sibi ferendum aut tolerandum existimet. Quò magis oporteat grave fuisse intolerandúmque DEI Filio, pro fatuo despici atque illudi; qui & secundùm DEI formam, ex suæ hypostasis proprietate, ipsissima esset ac primigenia Sapientia; & spectatus ut homo, plenus erat gratiæ & veritatis, ideòq; tanquam Magister orbis à Patre mundo propositus, dum de nube edixit: *Ipsum audite: quia* (interprete S. Leone) *ipse est veritas & vita, ipse virtus mea atque sapientia.* *Matth. 17. Serm. de transfigur.*

Perpende tertiò: ad hanc ipsam tot opprobriorum, quæ in passione tulit Salvator, tum gravitatē, tum acerbitatem declarandā; eum tanto antè ore Prophetico de semetipso dolenter dicere: *Ego enim sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* *Psal. 21.* Quæ quidem postrema Tertullianus, ut suprà indicare memini, significantiùs ex Græco sic vertit: *ignominia hominis, & nullificamen* (seu *nullificatio*) *populi:* quasi videlicet his significet Redemptor noster: sese ab hominibus contemptum, calcatum, protritúmq; fuisse, tanquam si homo esset nullius pretij, aut qui nullo numero inter homines haberetur. Quod item (licet minùs apertè) sonat ipsum abjectionis vocabulum in lectione vulgata: quia nimirum non abijcimus, nisi quæ nihili facimus. *l. 3. contra Marcio. c. 7.*

Quò etiam spectat, quòd ab Isaia *novissimus virorum* appellatus est; sive, ut legit idem Tertullianus: *deficiens citra* *cap. 53. l. 3. cit. c. 7. & 17.*

tra filios hominum, aut *citra omnes homines*. Ubi etiam eruditi observant, posse hebræa rectè verti; *cessatio* seu *desitio virorum*: quasi videlicet in passione sua Christus eousq; depressus fuerit, ut jam in extremo positus esset conditionis humanæ, nec esset quò ultrà descenderet, nisi cessaret esse homo: neque verò jam quidquam hominis, præter ignominiæ verecundiam, dolorisq; sensum retinere videretur. *Ignominia hominis, & nullificamen populi.* Eadémq; vis est vocis græcæ in verbis illis Marci c. 9. *Scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*; ubi pro *contemnatur*, Tertulliani exemplo, rectè verteris, *nullificetur*: hoc est, *nihilipendatur*, *nihilisiat*; aut certè quod sonat etiam ipsa Græca vox, *in nihilum redigatur*.

Itaque in passione sua DEI Filius unigenitus, non tantùm nihili, sed etiam nihilum quodammodo factus est. In quo jam proinde, & alteram, eámq; extremam, Domini exinanitionem, seu (ut vulgò loquimur) annihilationem possis agnoscere. Qui cùm primùm sese exinanisset usque ad formam servi & similitudinem hominis, susceptâ nostrâ humilitate; demum exinanivit semet ipsum quodammodo usque ad non hominem, dum & vermis formam aut similitudinem suscepit, & pro fatuo habitus (quæ propria est hujus loci consideratio) quasi infra hominem census fuit.

§. 2.

Earundem rerum ad usus nostros traductio.

TRaducamus nunc in rem nostram, quæ modò à nobis paulò pluribus expensa atque æstimata sunt, atque eas pro instituto quædam limatioris diviniorisq; vitæ præcepta ac documenta colligamus.

Primum: ut Doctoris Ducisq; nostri cœlestis, tum eruditi magisterio, tum documentis atque exemplis animati, eò assurgamus denique, ut neque putemus Christiano homi-

ni tanti faciendum mundi honorem ac gloriam, neque ea quæ his adversa sunt, adeò metuenda existimemus. Imò jam non ægrè feramus hominum opprobria, insectationes, illusiones: quando Dominus noster, & eos beatos pronunciavit, qui pro sui amore maledicta & probra sustineant, & eam sibi vitam elegit, quæ tota esset ex opprobrijs illusionibúsq; contexta. Alius est, scio, mundi sensus, aliæ leges & instituta hujus sæculi: at etiam scimus, ita docente Scripturâ divinâ, quòd apertâ jam schola Crucifixi, *stultam fecit* (hoc est, ostendit) *DEUS sapientiam hujus mundi*; & *quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI constituitur.* Christiani certè à Christo, non à mundo dicimur, neque mundi sectam, sed crucis disciplinam profitemur: neque verò mundus pro nobis redimendis crucifixus est, neque à mundo salutem aut vitam æternam expectamus. *1. Cor. 1. & 3.*

Veruntamen usque huc, Domine Jesu, quod de te senex prænuntiavit Simeon, positus es in signum cui contradicitur: usque modò in cruce extendis manus tuas ad populum non credentem & contradicentem. Ut enim infideles omittam, qui te etiamnum ut patibulatum & suspendiosum execrantur; nunquid & nos qui Christiani, hoc est, sequaces tui dici volumus, multifariàm tibi contradicimus? cùm tu in cruce tua, hoc est, in humilitate, abjectione, opprobrijs, summam divinæ cujusdam sapientiæ constitueris (propter quod etiam observant nonnulli crucem Chaldaicè *Mascal*, id est, Sapientiam appellari) nos alia omnia sapientes, factis ipsis tibi contradicimus, & (quod flens dicebat Apostolus) ut inimici crucis tuæ, ambulamus; & dum sapienti crucis tuæ stultitiæ stultam mundi sapientiam anteferimus, verè ac re ipsâ stulti sumus. *Philip. 3.*

Quid enim, obsecro, stultius esse potest, quàm mundi legibus moribúsq; vivendo, temporalia opprobria adeò metuere, & opprobria sempiterna non formidare? Quapropter

Ep. 49. q. 6. propter rectè S. Augustinus, Christum ut opprobrium hominũ, & ut vermem in cruce considerans: *Nos hunc agnoscamus* (inquit) *& pro salute divina, humana opprobria sustinemus.* *Alterum:* Quod præsertim homines respicit, virtutis juxta ac litterarũ studiosos: ut in eo speculo aspicientes nostri gratiâ, non tantùm exinanitam majestatem, sed etiam quodammodo infatuatam DEI Sapientiam, non tantopere soliciti simus, de comparanda tot laboribus, aut retinenda opinione sapientiæ: multò minùs, ut ipsa laborum studiorúmq; contentione, uti vilia gloriolæ mancipia, popularem auram avidè sordidéq; captemus.

Quam in rem mihi sublimis visa est B. Angelæ Fulginiensis Philosophia: quæ nimirum Christi summam paupertatem ac nuditatem declarare instituens, eum ait non solùm fuisse summè inopem rerum temporalium, verùm etiam amicorum favore destitutum, & (quod in hoc genere extremum est) etiam se ipsum semetipso quasi expoliásse; eò quòd, ut ipsa ait, privârit se quodammodo suâ potentiâ, suâ sapientiâ, suâ famâ sanctitatis & innocentiæ. Quod autem huc propriè spectat, de hac sapientiæ paupertate ita loquitur: *Voluit enim Dominus noster JESUS Christus, apparere ut simplex homo, & ignorans, & insipiens & fatuus, & non ut philosophus aut Doctor verbosus, &c. viam veritatis nobis ostendens, quòd non de scientia seu sapientia gloriari debemus, neque ipsâ inflati, velimus coram hominibus nomen Magistri acquirere, seu vanam gloriam manducare.* Ita illa simplex Theodidacta, ex cujus congressu & colloquio (ut principio monuimus) sese aliósq; multùm in spiritu profecisse, mutatósq; in viros alteros, testatur Ubertinus de Casali, ut eam idcirco non dubitet matrem pulchræ dilectionis appellare.

Vit. c. 59.

Prol. 1.

Hinc etiam Seraphicus S. Franciscus, sanctæ paupertatis studium ac perfectionem suis commendans: *Ad hujus* (ajebat) *culmen qui cupit attingere, non solùm mundana prædi-*

Vit. c. 7.

dentiæ, verùm etiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione, introëat in potentias Domini, & nudum se offerat brachijs Crucifixi.

Et S. Ignatius filios suos hac ipsâ arte erudiens, ait: eos, qui Christum Dominum nostrum seriò sequantur, amare debere omnia mundo contraria; *adeò ut si sine offensione ulla divinæ Majestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia & injurias pati, & stulti haberi & existimari: eò quòd exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum JESUM Christum, ejúsq; vestibus & insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter majorem nostrum profectum spiritualem induit, nobisq; exemplum dedit:* & quæ sequuntur. Et in Exercitiorum libello, uti superiùs indicatum est, velut supremum humilitatis modum proponit; ut etiam existente pari DEI gloria, *ad majorem tamen imitationem Christi eligamus potiùs, cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti.* Qui demum, quod alijs præciperet, sibi ipse assumens: *Ludibrio omnibus esse cupiebat, & si animo indulgere suo voluisset, nudus, despicatus, & oppletus sordibus, ut insanus haberetur, per vicos ambulasset;* ut scribit P. Ribadeneira in ejus vita.

Exam. c. 4. §. 44.

L. 5. c. 3.

§. 3.

Variæ laudabilis insaniæ species, ex Christi amore atq; imitatione, procedentes.

POstremum: Cùm plures esse videantur, eorum, qui (Apostoli phrasi) propter Christum stulti facti sunt, aut (ut loquitur S Gregorius) laudabilis fatuitatis, rationes; eas licebit disciplinæ gratiâ ad tres quasi species reducere.

Prima est: eorum, qui à mundi rebus atq; affectionibus abstracti, soliq; DEO inhærentes, ea quæ mundus amat & amplectitur, toto animo refugiunt; quæ autem ille a-

versatur, paupertatem, dolorem, contemptum, ea ex Christi instituto atque exemplo, cupidè sibi consectanda existimant, *sapienti quádam insaniâ* (ut de priscis monachis quidam veterum locuti sunt) in se ipsos crudeles, & sibimetipsis quodammodo hostes effecti.

Hi enim fatuis mundi amatoribus, stulti videntur atque insani: unde est illa reproborum vox in libro Sapientiæ: *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam.* Et apud Sanctum Job: *Deridetur justi simplicitas*; quia nempe (ut ibi S. Gregorius) *quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo* (subdit) *quàm pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere?* Quibus similia alio quodam loco repetit, agens de conscensa à Zachæo Sycomoro, hoc est, ficu fatuâ: *Quasi enim* (inquit) *Sycomorum nos conscendere Dominus præcipit, cùm dicit: Qui aufert quæ tua sunt, non repetas, &c.*

Sap. 5. Job. 12. Lib. 10. Mor. cap. 16. L. 27. Mor. cap. 27.

Secunda est eorum, qui insolito fervore spiritûs, & insano quodam in Christum aut proximum amore correpti, ad ea subinde optanda atque audenda prosiliunt, quæ communem etiam Sanctorum sensum affectúmve transcendere videantur.

Quomodo nos in superioribus, eorum qui hac ratione in Dominum insaniant (uti loquebamur cum S. Chrysostomo) exempla nonnulla protulimus. Aliáq; profert S. Bernardus libro de natura & dignitate Divini Amoris, ubi inter cætera: *Audi sanctam insaniam: sive mente* (inquit) *excedimus DEO. Vis ad hæc audire insaniam? Dele me de libro tuo quem scripsisti. Vis aliam? Optabam ego ipse anathema esse, &c. Nonne quædam mentis bene affectæ sana quædam videtur insania, fixum in affectu pro Christo, anathema velle esse à Christo? Hæc Pauli insania, cùm diceret ad eum Festus:*

cap. 3.

Insa-

Insania Paule. Hac insaniâ insani erant Martyres inter tormenta ridentes. Hæc & plura Bernardus.

Eodémq; spectant illæ in speciem parum sanæ actiones, quas Sancti sive in mentis & amoris excessu, sive in raptu prophetico, subinde exercere conspiciuntur. Unde de se ipso S. Bonaventura: *Qui me vident* (inquit) *derident; & quòd tuo amore sim ebrius, non cognoscunt. Dicunt enim, quid iste insanus vociferatur in plateis? Ignorant, quòd amor tuus intensus impedit usum sensus, & qui te ferventer quærit, se ipsum & omnia derelinquit.* Et S. Ambrosius ad illa verba psalmi 39. *& insanias falsas: Sunt ergo* (ait) *& veræ insaniæ, & forsitan Prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, repleti DEI spiritu, ut quibusdam insanire viderentur.* P. 1. Stim. c. 2.

Extat denique apud Lucam Wadingum inter S. Francisci opuscula, canticum quoddam metris conscriptum Italicis, ubi is Sanctus Christum alloquens, ejúsq; amore sese insanire profitens, ait eò se esse excusabilem, quòd idem amor qui se redigit ad insaniam, etiam ipsi Christo videatur sapientiam abstulisse. Quanquam id alij B. Jacopono attribuunt. *Tertia* est eorum, qui sese omnino abijciendi, Christúmq; propiùs imitandi desiderio, re ipsâ se gessêre pro fatuis, ea studiosè dicentes ac facientes, quæ non nisi mentis emotæ homines solent, ut hac ratione insani passim existimarentur. Quo in numero sunt Simeon Salus, & Marcus, & modò memoratus Jacoponus, aliíq; quorum acta Raderus noster Viridarij sui parte 3. recenset. tom. 3. opusc.

Verùm id, ut multis obnoxium difficultatibus, neque temerè cuiquam suadendum, neque absque certo & speciali Spiritûs sancti instinctu suscipiendum.

Illud potiùs laborandum nobis in proposito; ut, conscensâ crucis sycomoro, & omni abjectâ honoris nostri curâ supervacuâ, ita animo simus comparati, ut si ita ferret DEI gloria, etiam stulti existimari cuperemus; & si qua incidat incur-

incurrátve in nos ejusmodi contumelia, eam non modò patienter, sed libenter etiam sustineamus: potissimùm autem ne hominibus placendi studio, dum non tam sapientes esse, quàm videri & audire volumus, similes jumentis insipientibus, inanis gloriæ paleas (B. Angelæ verbo) manducemus.

CAPVT V.

Imitatio Christi ad columnam alligati & flagellati.

§. I.

Flagellationis Christi atrocitas & indignitas.

UT exoptatum è præsenti exercitio fructum certiùs consequaris: Pone tibi primùm ob mentis oculos triste spectaculum; DEI Filium, agnum innocentem, hominem prudentissimum, vultu benigno, amabilissimis moribus, speciosum formâ præ filijs hominum, per summum opprobrium, indignitatem, immanitatem, in conspectu petulantis exercitûs vestibus nudatum, & manibus constrictis columnæ alligatum, ac denique à validis tortoribus hominibúsque perditissimis, inhumanè conscissum flagris, ac propemodum confectum. Vide, ut ad primos verberum incussus, vibicibus rubent Regis gloriæ, innocentes artus; mox ut livorem atrorémq; contrahunt, demum ut dissecti sauciatíq; cruentantur. Aspice, ut tandem repetitis ac congeminatis ictibus, virgineâ & delicatâ carne ejus omni ex parte dilaniatâ atque concisâ, totus operitur sanguinis sui purpurâ, & invicem collectis coëuntibúsq; per membra guttis, rivi decurrunt sacri cruoris. Jámq; totum corpus unum vulnus est; adhuc tamen fulcantur artus laceri, atque jam non membra, sed vulnera vexantur. Ecce ut denique fu-

rore

rore torquentium lassato, resolutisque vinculis, viribus defectus humi labitur, & instar vermis pede pressi atque obtriti, in suo tabo ac sanguine volutatur. ô! spectaculum vel ipsis hostibus (nisi furore & amentiâ cœci sint) horrificum atque luctuosum! Nam quæ ista tandem est indignissimi facti insolentia? aut unde tam repens, circa personam innocentissimam, rerum omnium commutatio?

Agnoscis Unigenitum tuum, Pater æterne? Jam enim vermis est, & non homo; opprobrium hominum, qui fuerat deliciæ Angelorum. *Hanc invenimus: vide, utrùm tunica Filij tui sit, an non.* Sacratissima Christi tui Humanitas, tunica illa polymita, omnigeno decore ac dignitate variata, quam illi de purissimo Virginis intemeratæ sanguine contexueras, ut habitu inveniretur ut homo, in sanguine hædi intincta est, virulentâ inquam scelerum nostrorum sanie, infecta, confusa, decolorata, deturpata est, vix ut possit dignosci. Sed obsecro vos, Angeli sancti, qui excitâ insolentiâ spectaculi magno numero huc concurristis, hiccine est Dominus virtutum & Rex gloriæ? hiccine ille electus ex millibus, cujus conspectum, non solùm filiæ Jerusalem, sed & vos quoque desideratis? Hæretis, opinor, ad plenam horroris speciem, tanquam stupore oppressi profundissimo; & attoniti rei miraculo, ipso silentio respondetis quod olim Isaias: *Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, &c.*

Gen. 37.

Isai. 53.

Quid verò inter hæc mitissimus ipse Salvator? *Sicut agnus*, inquit idem Propheta, *coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum:* tacitâ tantùm cogitatione ad Patrem aspiciens, & offensæ divinæ decoram victimam se offerens: *Super me* (ajebat) *confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Verumtamen, ecce me, *ut faciam voluntatem tuam. Ego autem non contradico, retrorsum non abij. Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellentibus.*

Act. 8.

Ps. 87.

Ps. 39.

Isai. 50.

Psal. 37. *tibus. Quoniam ego in flagella paratus sum; & dolor meus in conspectu meo sempor.*

Neque tam dolent illi vulnera sua, quàm divinæ sentit Majestatis offensam: cui ut plenè satisfiat, paratus sit etiam inhumaniùs flagellari, si vel Patris honor id exigeret, vel hominum necessitas (quos tantopere diligit) postularet.

Veruntamen quid agis, ô bone JESU! Ecce enim ut te malis modis accipiunt homines, quos sic complecteris, & cum quibus versari delicias tuas esse dicebas. Quanquam (quæ tua est in nos charitas) etiam cum his esse qui te cruciant, delicias reputas; quòd volupe tibi sit, pro salute nostra flagellari, crucifigi, mori, & sanguinis tui profusione, etiam his ipsis qui illum immaniter effundunt, promptam medicinam & balneum efficax, ad ulcerum suorum, quamvis horribilium, abstersionem, apparari.

O incredibilem mansuetudinem tuam! patientiam insuperabilem! prodigiosam charitatem! ô cœlestis balsami arbuscula, ùt inciso carnis tuæ cortice, pretioso undique sudas opobalsamo, ad medelam omnium vulnerum nostrorum! ô botre divine, ùt oppressus hominum injurijs preclaro liquore circumfluis, ad bonarum mentium delitias, ad castissimam sanctarum animarum ebrietatem! *O anima*

Expl. pass. c. 9. *mea* (quæ hîc verba sunt Joannis Thauleri) *& quotquot DEUM amatis, qui pretioso sanguine Christi redempti, & à peccatis vestris abluti estis, venite, & interno cum dolore videte, quanta fecit DEUS animabus nostris.*

§. 1.

Ejusdem mysterij ad usus nostros applicatio.

POrrò ex propositi mysterij consideratione, hæc præsertim deduces, mi Lector, ad morum tuorum accuratiorem disciplinam.

Primò enim hinc tecum reputa: quanta sit peccati gravitas,

vitas, & quanta indignitas divinæ offensæ; cui expugnandæ & abolendæ, opus fuerit ita vulnerari atq; atteri Regem gloriæ, Dominum infinitæ Majestatis. *Ipse* enim *vulneratus est* (inquit Isaias) *propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quam proinde rem sanctuarij pondere pensans S. Bernardus: *Ex considerationе remedij* (inquit) *periculi mei æstimo quantitatem.* Et posteà: *Agnosce, homo, quàm grævia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.*

Isai. 53.

Serm. 1. in Nat.

Secundò: Perpende, peccata tua, quibus DEUM audes toties & tam graviter offendere, esse instar totidem flagrorum, in innocentes Redemptoris humeros crudeliter ac confertim ingruentium. Itaq; cùm tibi diabolus peccati objectat illecebram, & propè est forsan ut prolabaris; recurrat animò Christi vulnerati & flagellis concisi tristis species; & perinde tecum nunc agi, atque si is tuus & DEI hostis, flagellum tibi in manus offerat, quo jam oppidò convulneratum ac quasi fatiscentem Salvatorem novis oneres conficiásq; vulneribus: ut is gemebundus dicat ad Patrem. *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Aut ipsum sanè afflictissimũ JESUM imaginare, tibi quodammodo dolenter permittentem, ut sese potiùs (si ita fert animus) iteratis flagris, aut conduplicatis ictibus impetas. Sibi enim quocunq; vulnere acerbiorem esse Divinitatis offensam; ut qui huic delendæ atque avertendæ, isti se lanienæ ac carnificinæ subjecerit. Ita nos quidem quasi per lusum peccata committimus, sed illis DEUM ac Dominum nostrum nimis quàm seriò flagellamus; secundùm quod dixit S. Augustinus: *Multiplicant flagella Domino DEO suo, & nesciunt.*

Psal. 68.

Tr. 10. in Ioann.

Tertiò: Insuper hoc loco pondera: benignissimum Salvatorem, crudelissimam istam atque universalem membrorum suorum lacerationem, præcipuâ quadam ratione

ideo subijsse; ut pro illicitis atque obscœnis voluptatibus, quibus corpus suum plerique incestant ac commaculant, purissimæ carnis suæ supplicijs paternæ justitiæ satisfaceret, & ulcerosam carnem nostram livore suo sanaret. Proinde eâ causâ omnem nos libidinem valde aversari atque abominari convenit: ut pro ipsa quoque Dominicæ carnis reverentia, nos ipsos pudicè ac verecundè habeamus; neque (ut paulò superiùs indicatum est) innocentissimi fratris nostri immaculatam tunicam in sanguine hædi intingamus, fœtidissima, inquam, turpitudinum nostrarum sanie, & tanquàm tabido cruore infectam (quantũ in nobis est) dehonestemus.

Quartò: Addo etiam illos specialiter flagellis cædere Redemptorem, qui offensas offensis cumulantes, in eodem luto defixi hærent, corroboratâ jam consuetudine peccandi. De his enim præsertim queri videtur per Prophetam: *Supra dorsum meum*, inquiens, *fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Quid enim est, supra Salvatoris dorsum fabricare, nisi peccatorum crebris ac repetitis ictibus, uti fabri incudem solent, illud tundere? aut quid iniquitatem suam prolongare, nisi peccandi finem nullum facere? Quod aliâ phrasi exprimit alter Propheta, dicens: *Va, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, &c.*

Isai. 128.

Isai. 5.

Quintò: Quod propiùs ad imitationem pertinet, id tecum considera: Si Dei Filius ut aliena peccata dilueret, tot flagellis à Patre subditus est: quid te aut facere, aut pati oporteat pro tuis. Nam istinc scelerum tuorum gravitatem, hinc innocentis Agni illorum gratiâ afflictionem atque attritionem contemplans, nonne justo odio adversus te ipsum commoveri & inflammari deberes, & contra temetipsum insurgere, & in temet sanctè sævire; quò aliquâ saltem ratione Salvatori pro te vulnerato satisfaceres, & amorem amori, flagella flagellis redderes, & tuum Rei sanguinem cum innocentis Redemptoris sanguine misceres?

At-

At si ad hos ausus nondum tibi sufficit animus; exhibe te saltem promptum atque submissum ad omnia, quæ divina tibi providentia imposuerit, dicens & tu cum Propheta Regio: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus* (id est, peccata mea, quæ mihi sunt doloris causa) *in conspectu meo semper.* Aut illud paulò animosius, ex ejusdem Prophetæ imitatione usurpans: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi:* iste Agnus quid fecit? *Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Ad hæc, afflictiones omnes, sive extrinsecus immissas, sive à te ipso voluntariè susceptas, cum Christi flagellis velut in fasciculum colliga, eásq; conjunctim offer æterno Patri, saltem Filij meritis & consortione placituras. Itidémq; consuesce in cunctis adversis eidem gratias agere, pro benevolentia, quâ te participem facit flagellorum Unigeniti; & ingenuè agnosce, semper nimis clementer & indulgenter tecum agi, neque te tractari pro meritis; ut tibi propriè assumere possis, quod in libro Job dicitur: *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi.*

Psal. 37.

2. Reg. 24.

Job 33.

§. 3.

Opportunum homini religioso documentum.

DEmum, ut in gratiam hominum Religiosorum istud extremum adijciam: opportunè, ut ego arbitror, atque ad leniendas molestias severioris vitæ utiliter faciet homo Religiosus; si se, ratione suscepti status, fingat ad columnam alligatum cum Christo, & ad flagella atque verbera (undelibet ingruant) expositũ. Neq; enim aliud esse Religiosum, quàm hominem in primis despoliatũ nudatúmq; rebus omnibus hujus sæculi; tum professionis votorúmq; vinculis cum Christo, & cum Christo tanquam ad columnam obstrictum; postremò assiduæ mortificationi, & quotidianis religiosi Statûs incommodis, velut crebris flagellorum ictibus

suppositum atq; subjectum. Id enim hæc efficiet persuasio; ut quæcunque sibi, sive ex legum suarum præscripto, sive de superiorum voluntate, duriora provenient, æquiore animo, & sine voce cum Christo perferat; non immemor, quando religioni obligatus est, sese sponte suâ universæ illi flagellorum grandini, ex Christi amore atque exemplo, supposuisse; neque mirum jam esse debere, si ictus crebriores in se depluant, & propter DEUM mortificetur totâ die, æstimatus cum Christo sicut ovis occisionis.

L. 2. Vit. c. 19. Ita se animo comparaverat noster B. Aloysius; quem dicere solitum accepimus: *Esse se ferrum incurvum, atque ad Religionem venisse, ut severioris disciplinæ exercitijs, perinde ac malleo, tunderetur & corrigeretur.* Quæ cogitatio in mentem revocat, quod de ipso Christo in hæc verba ait quodam loco S. Bernardus: *Qui tanquam jugulatori suo alludens* (nimirum ut ovis mitissima) *se ipsum non reluctans exposuit, & nudum corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit.* Serm. 2. de Cœn. Dom.

Profectò qui ita persuasus religiosum statum capessiverit, eadémq; animi comparatione in eo pervixerit; *Sedebit* (ut Scriptura loquitur) *in pulchritudine pacis, & in requie opulenta*; hoc est, animi pace perfruetur suavissimâ, divinisq; delicijs affluet, & magnis meritis Deiq; donis ditabitur. Quemadmodum qui contrà affectus sit, & non nisi mollia in Religione sibi proposuerit; is dolorem sibi super dolorem adijciet: quando & cœlestibus destituetur solatijs, neque sic flagella aut cruces effugiet, quas ipso renisu aggravabit, exacerbabitq; impatientiâ, fiétq; alijs ac sibimet ipsi gravis: quia, ut ille ait: *Vincenti datur manna, & tot penti relinquitur multa miseria.* Isai. 32. L. 3. de imit. Christi c. 35.

CAPVT

CAPUT VI.

Imitatio Christi spinis coronati, & saturati opprobrijs.

§. I.

Mysterij propositi contemplatio.

ADesdum fidelis anima, & vide, amabo, visionem hanc magnam, DEUM in rubo, sed jam non innocente; Sponsum, inquam, tuum in die Desponsationis suæ, consertis vepribus coronatum atque confixum. Ut & te spinæ dilecti, primùm compungant ad pias amoris dolorisq; lacrymas, ac deinde etiam exstimulent ad imitationem.

Primò igitur contemplare otiosè istius facti diritatem atque immanitatem. Christus DEI Filius & Rex gloriæ, spinoso serto per ludibrium coronatur. Tormentum ingens, vel si abesset contumelia: grande supplicium, etiam deductâ crudelitate. Nunc, quando hæc illi arctè conserta & implexa est; altera alterius exacerbatur contagio, & uno nomine supplicij, injuria multiplex, & non una pœna involvitur. Res, inquam, ad dedecus fœda, ad dolorem acerba; utroque insolens, atrox, indigna.

Tertullianus ista ponderans: *Certè*, inquit, *præter figuram* (hoc est, præter mysticam istius coronæ significationem) *contumelia in promptu est, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt.* Quibus ille quidem in eo Dominico supplicio contumeliam præsertim attendit; quanquam & advertit eidem implexam sævitiam; iisq; proinde & fœdata Domini tempora & lancinata, quorũ hoc ad dolorem pertinet, istud ad dedecorationem. In quem etiam sensum alibi dixit: *fœdis vestitur, fœdioribus coronatur.* *De cor. mil: c. 14.* *De Pat. c. 3.*

Secun-

Secundò: Perpetuum hoc fuit in Redemptoris nostri tormentis, ut cruciatui implicaretur ignominia; quò ejus dolorum acerbitate extingueretur in nobis voluptatum insana cupiditas, & opprobriorum granditate superbia nostra opprimeretur. Percurre animo genera omnia Dominicorum suppliciorum. flagellis cæditur; servilis pœna est. spinis coronatur; tragicum est & crudele ludibrium. Despuitur, depalmatur, pugnis (fortassis & crepidis, ut ex voce græca apud Matthæum nonnulli conjectant) pulsatur: extremum est oris ingenui, & generosi hominis dehonestamentum. Postremò in crucem agitur: dirus nomine ipso cruciatus est, sed cruciatu major fœditas & dedecoratio. Nec ipsa per se contumelia sufficit crucis: medius latronum figitur, ad principalem ignominiam; & regij tituli præconio, supplicij probrum intenditur. Quid, quod jam pendenti vulnerantur aures odiosissimis convitijs; &, quod insolens est, & præter usum sensúmq; communem humanitatis (quo, quantumvis reum, in atroci positum supplicio tamen commiserescimus) fato illuditur & insultatur innocentis. Sed nimirum adeò inveterato & altè insito naturæ corruptæ vitio, potens opus erat, & acre ac forte remedium: ut tot támq; horrendis divinæ humilitatis exemplis, erubescat denique castigetúrq; humana superbia; & Dæum percussum atque humiliatum aspiciens, *non apponat ultrà magnificare se homo super terram:* aut (ut eandem rem ipsis Angelæ verbis exprimam) *ut perfectissima & fidelissima & inusitata humilitas istius altissimæ Majestatis, deprimat & confundat superbiam nostræ nihilitatis.*

Maldo. 26. Matth.

Psal. 9.

Vit. c. 59.

Tertiò: Jam reliquas hujus tragici ludi circumstantias perpende. Vix enim ab illa flagrorum grandine, & crudelissimâ artuum suorum laceratione sese collegerat mitis Redemptor, vix brevem spiritum & virium aliquid resumpserat; cùm ecce in novam scenam trahitur, doloris ac dedecoris

coris plenissimam, factus insolentiæ militaris, & ingeniosæ in insontis pœnas crudelitatis, ludibrium. Caput illi fortassis à flagris intactum remanserat: huic ergo ne sua desint vulnera, sævissimo invento, è rhamno sertum adornatur, & per capitis cutem atque membranas altè violentérq; adigitur. Consequenter huic primo actui & cætera fabula pertexitur. Ludicro regi inijcitur in humeros chlamydis coccineæ dedecus; & cannæ frustum in manus inditur: quo subinde resumpto feri milites pulsant obseptum spinis verticem, sive illudentes venerando illi capiti, sive spinas altiùs ad acriorem sensum imprimentes. Adduntur his insana opprobria, joci petulantes atq; amari; & injuriâ simplici malũ fœdius, fictæ & ad risum compositæ salutationes.

Accessit & istud non leve doloris corollarium; quòd (ut est quorundam verisimilis opinio) spinosum hoc sertum non semel duntaxat Dominico capiti fuerit impositum, sed nescio qua ex causa detractum, eidem rursum impressum sit, non sine ingenti, ob renovatas antiquas plagas, recentésq; inflictas, in amabilem ejus vultum effusione sanguinis, & amplificatione sævissimi doloris. Id enim sibi à B. Virgine revelatum fuisse testatur S. Birgitta; coronam videlicet, dum crucifigeretur, Christo detractam, rursum fuisse in cruce divino ejus capiti aptatam: & lego similia apud Clementem Alexandrinum, eandem Christo in altum sublato, in cruce nimirum, fuisse impositam; quod cùm de prima impositione non possit intelligi (nimis manifestè repugnante textu Evangelico) necesse erit accipere de altera quadam ejusdem coronæ impressione.

L. 1. c. 10. L. 7. c. 15.

L. 2. Pædag. c. 3.

Christum coronam in cruce gestâsse, docent Patres varij: nec tamen opiner, dum exijt crucem sibi bajulans, eâ caruisse. Nimirum debuit mundi victima ex ritu veterî coronata duci ad Sacrificium: quo etiam factum sit; ut præter insigniorem contumeliam, crebro ligni crucis ad spi-

ſpinas alliſu atque incuſſu, mirum in modum ea vulnera amplificarentur & exacerbarentur. Sanè, ut ſolennem Gentilium ritum omittam, etiam agnum paſchalem (qui proprius Chriſti in cruce immolandi typus erat) feſta fronde revinctum ac coronatum duci ſolitum ad victimam, tradit inter alios Joannes Lorinus noſter. Tandem Tertullianus adversùs Judæos: *Chriſtus* (inquit) *ſuis temporibus lignum humeris ſuis portavit, inhærens cornibus crucis, coronâ ſpineâ in capite ejus circumdatâ.*

In Pſal. 117. v. 27.
cap: 13.

Profectò, benigniſsime Jesu, maledicta terra carnis noſtræ, non roſas aut violas quibus coronareris, ſed ſpinas & tribulos germinavit tibi. Superbia mea iſtos tibi veprés conſeruit in coronam; vanitas mea iſtam dexteræ tuæ inſeruit arundinem, eadémq; tuo divino capiti illuſit: faſtus denique meus ac jactantia, iſtâ te purpurâ ad ruborem dehoneſtavit. Poſtremò igitur hîc attendat aſceta, quam verè paulò antè dixerit Salvator: regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Illum quippe mundus, velut in fabula, ſpinis coronat, inſignit arundine, ludicrâ purpurâ, ſeu ipſo potiùs ingeſtæ ignominiæ rubore, conveſtit; &, ut de alapis ſputísque taceam, fictâ ſalutatione & probroſis honoribus illudit: at illum mox cœlum, honore coronabit & gloriâ, & divino cinctum diademate, immortalíq; potentiâ pollentem, Regem ſæculorum, & mundi Judicem demonſtrabit. Ut vel hinc diſcamus, fallaci mundi gloriæ non credere, ſed ad immarceſcibilis Paradiſi coronas aſpirare.

Cæterùm hæc Domini mei, meâ causâ ſuſcepta dedecoratio, amabiliorem eum mihi facit & chariorem: quippe (ut ait S. Bernardus) *quantò pro me vilior, tantò mihi charior eſt;* eâdem nimirum opprobriorum ſuorum fœditate, ſimul humilitatem mihi commendans, ſimul amorem meum ſibi concilians, aut (ut S. Auguſtinus loquitur) *ſanans tumorem, & nutriens amorem.* Itaque hunc diem, quo in hunc

Serm. 41. de Epiph.

L. 7. Conf. c. 18.

hunc modum charitatis coronâ, & sanguinis sui purpurâ, tanquam veste nuptiali subornatus est, diem suæ desponsationis appellavit. Quò spectant B. Theodoreti verba, in illud Cant: 3. *Egredimini filiæ Sion, &c.* ita scribentis: *Spinis illum contemptûs causâ coronavit*, scilicet Judæa aut Synagoga: *ipse verò per spinas suscepit diadema charitatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atq; ultro ad mortem cessit. Quamobrem desponsationis diem illam vocavit, & diem lætitiæ cordis ejus.* Hæc Theodoretus.

§. 2.

Primitivæ Ecclesiæ fideles à capitis coronis religiosè abstinuisse.

PRisci Christiani, jam ab ipsis Ecclesiæ principijs, floreâ frondeâve coronâ caput nectere, religioni habuere. Id enim tum ex Minutio Felice constat Scriptore perantiquo, dum Cæcilium quendam inducit, Christianis, inter cætera, in quibus ab usu sensûq; communi odiosè recederent, id etiam objectantem: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis:* tum maximè ex Tertulliano, in libro de corona militis ex ea occasione scripto; quòd, cùm milites, festo solemni Imperatorum, laureati omnes ad donativum ex eorundem liberalitate recipiendum procederent, quidam illorum, quòd Christianus esset, non processisset coronatus ut cæteri, sed manu duntaxat lauream gestans, aut (veluti loquitur Tertullianus) *coronamento in manu otioso.* Cujus liberum & audax factum nonnullis exinde improbantibus, quòd intempestivâ religione Christianam pacem in novum discrimen adducere visus esset; ipse eâ præsertim ratione defendit, quòd fidelem coronari non permitteret recepta traditio, & vulgata Christianorum disciplina. Hujus autem (ut ipse appellat) observationis inveteratæ, cùm alias plures rationes adferat, ad extremum illam subijcit,

In Octav.

de coron. mil. c. 2. & 3.

ijcit, de qua nunc agimus, exemplum videlicet Christi, spinoso serto ad ludibrium atque tormentum coronati. Ejus verba sunt ista cap: 14. *Quale, oro te, sertum Christus JESUS subijt? Ex spinis, opinor, tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Et posteà: *Si ob hæc caput tuum illi debes, tale si potes ei reponde, quale suum pro tuo obtulit; aut nec floribus coroneris, si spinis non potes; quia non floribus potes.* Clemens etiam Alexandrinus, æqualis eorundem temporum lib: 2. Pædagogi Christianos mores instruens, negat Christianum floribus coronari debere: alienum quippe à ratione esse, ut qui audierimus Dominum spinis coronatum fuisse, ipsi venerabili passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus. Et quanquam non ea (saltem universim) fuisse videatur veterum Christianorum religio, ut florum usum ab sese in totum abdicarent: his enim (teste Minutio) *sparsis utebantur mollibus ac solutis, & sertis colla circumplectebantur*; & coronas solùm arcebant à capite, reverentiâ Dominicæ Passionis: tamen & Clemens Alexandrinus severiùs pronunciat: *Qui præter aspectum, usus eorum percipitur*, (florum scilicet) *petulantia est*; & si aliquid plus concedendum videatur, ad extremum atque ægrè tandem, eorum insuper odorationem Christiano permittit: & Tertullianus, qui quâdam veluti indulgentiâ, concedit potiùs terrenos flores in sinum condi, in lectulum spargi, aut in alios innocentes usus, quàm ad nexum capitis, adhiberi; idem tamen posteà satis ostendit, de ejusmodi deliciarum universo genere quid sentiat, dum Christianum suaviter hortatur, ut cùm Christum habeat florem cœlestem, incorruptum, æternum, floribus interim morituris abstineat. Illius verba mox subijciam.

cap: 8.

cap: 5.

§. 3.

Christi spinis docemur, Crucifixi discipulo mundi delicias minimè esse consectandas.

HÆc igitur eò maximè spectant, ut intelligatur; Christiano homini, qui Domino crucifixo vepribúsq; coronato glorietur, omnes sæculi delicias respuendas & abdicandas esse: & qui secùs faciat, eum Domino suo spinis coronato quodammodo insultare, ejúsq; corpus velùt monstrosum efficere, si artus habeat ipsi capiti dissentaneos, seu (quod ait S. Bernardus) *sub spinato capite membra delicata.* *serm. 5. de Omnibus SS.*

Suprà laudatus Tertullianus, Christianum adhortans, ad fugientia mundi gaudia, fluxásq; voluptates aspernandas: *Nihil tibi*, infit, *cum gaudijs sæculi; imò contrarium debes. Sæculum enim gaudebit, vos verò contristabimini. Et puto felices ait lugentes, non coronatos.* Et cap: sequenti: *Quid tibi cum flore moituro? Habes florem ex virga Jesse, super quem tota divini Spiritûs gratia requiescit; florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum.* *cap: 13.* *cap: 14.*

Et sanè si ex Apostoli Petri verbo, merces nobis in cœlis reposita, est corona gloriæ; & ipse DEus est illa merces nostra magna nimis: igitur & ipse DEus erit corona nostra. Sicut scriptum est: *in illa die erit Dominus exercituũ corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* *1. Pet. 5.* *Isai. 28.* Quamobrem convenit professum crucis militiam, eo in genere diaboli milite non minùs esse solertem. Si enim, ut de milite Mithræ (quo nomine Apollo aut Sol apud Persas appellatur) tradit citatus autor libro de corona extremo: *dum initiatur, coronam capiti suo accommodatam monetur obviâ manu à capite depellere, & in humerum si fortè transferre, dicens: Mithram esse coronam suam; atque exinde nunquam coronatur:* quid ultrà sæculi delicias, & tanquam flosculos captamus, qui coronam capitis nostri JESUM crucifixum habemus?

Neque enim aliter JESUS Nazarenus piis animabus aspectandus est, quàm ut flos pulcherrimus & suavissimus, ex arido in speciem, atque ex succo crucis suæ caule ac stipite progerminans: neque jam crux ipsa, ut patibulum infame, aut lignum asperum atque horridum aspicienda; verùm ut frondens Aaronis virga, ex qua ille prodeat atque pullulet, qui de se dicit: *Ego flos campi & lilium convallium.* Sed ô jam lilium inter spinas; quod undique nimirum aspicimus, sive criminum nostrorum aculeis, sive acerbissimorum dolorum spinis cinctum atq; vallatum! Ut vel hinc discas, ô anima, spinas, hoc est mundi adversa & aspera amare, quando inter hæc præsertim invenitur JESUS Nazarenus.

Cant: 2.

Sap: 2.

Reproborum vox est in libro Sapientiæ: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: non prætereat nos flos temporis, &c.* E contrà Sanctorum & Christo dilectorum vox est, vox S. Catharinæ Senensis, S. Elisabethæ Hungaricæ, B. Lydvinæ, cæterorúmq; electorum vox est: Coronemur nos spinis, quàmdiu hæc mortalis vita est, rosas servemur coronis æternis. Aut si floribus sanè ita capimur, coronemus nos rosis, quæ nunquam marcescunt: ne si mundi hujus rosas amemus, ipso brevi defluente flore, solæ spinæ superent, quibus pungamur & sauciemur. Sed & quando Clementem Alexandrinum de spinea Christi corona ita loquentem attendimus: *Hæc corona flos est eorum, qui crediderunt in eum:* rosæ nostræ sint dilecti nostri spinæ, afflictiones, sudores, lacrymæ: his carpendis jucundè immoremur; ex his delicatas & suaves animæ amanti corollas, ex his serta sanctarum deliciarum, texamus.

loco cit.

Et rectè id quidem. Nam si B. Lydvina, quas ei nativo deficiente humore, amoris vis aut compunctio cordis ex oculis exprimebat sanguineas lacrymas, eas venustè rosas suas appellitabat: multò æquiùs pro rosis habeant animæ Christo devotæ, sive cruenti sudoris guttas, quibus gra-

P. 2. c. 7.

mina

mina erubuêre Gethsemani, sive spinarum aculeis expressum rorem sanguineum, Dominicum verticem purpureis notis obsignantem. Ita enim pijssimus Thaulerus sanctam alloquens ac DEI amantem animam: *Et tu* (inquit) *sancta ac DEI amans anima: vide ut sponsus tuus, in die desponsationis suæ viridem ferat coronam, rubentibus ornatam rosis, id est, roseo suo tinctam sanguine: hoc ipso significans, pium se esse ac mansuetum regem, verúmq; principem amoris.* Explic. pass. c. 10.

Atque hîc denique memoratu digna est, dulcis atque amœna Redemptoris nostri ad sibi dilectam B. Joannam à Cruce, allusio. Hæc enim die quodam Parasceves, divinorum stigmatum certis vestigijs, quæ quaque deinceps feriâ sextâ & Sabbato, in modum notarum purpurearum in ejus manibus atque pedibus compararent, à Sponso suo donata; cùm ijs carere visibilibus divini favoris indicijs studio humilitatis expetereret, ita Christum audijt sibi dicentem: Equidem importuniùs urges, ut tibi concessum charitatis meæ pretiosum pignus subtraham. fiet id equidem: sed quia non vis rosas meas, concedam tibi spinas meas. Exinde igitur aspectabiles illæ divinorum stigmatum notæ videri desiêre: sed earum vice occupavit virginis animum corpúsq; universum ea doloris vis, adeóq; efficax cruciatuum Christi consensio, ut ei deinceps vita reliqua crudele martyrium, & viva esset Dominicæ mortis ac passionis imitatio. Adeò huic quoque, pro rosis, & præ rosis erant spinæ dilecti sui. L. 2. Vit. c. 16.

§. 4.

Nonnulla ad usus peculiares ex his deducta.

EX his quæ hactenus à nobis universè disputata sunt, pauca hæc summatim deduci possunt, & ad usum tradi memoriæ. *Primum:* ut cùm te noxia voluptas, aut fluxarum deliciarum cupiditas incesserit, confestim oculis aut animo

animo in Crucifixum intento, respicias in faciem Christi tui, & serti spinei, quo redimitus est contemplatione, erubescas sectari mollia, & in vitæ cultúsq; ratione esse membrum adeò abhorrens à capite tuo.

cap: 35. S. Bernardus tractatu de passione: cùm Christum flagellis cæsum, consputum, colaphis percussum, spinisque coronatum posuisset ob oculos: *Talem inspice JESUM*, inquit. *Quis hic locus deliciarum?*

Neque verò cùm Christum spinis coronatum imitandum tibi propono, id à te exigo, ut coronam de spinis ac vepribus consertam gestes in capite (quod quidem nonnulli audaci facto, sed ardenti Christum imitandi studio, fecère) sed illud duntaxat, quod cum Tertulliano dicebamus, ut *nec floribus coroneris, si spinis non potes*; hoc est, ut cruciatuum Domini tui contemplatione, à noxijs saltem voluptibus, & erubescendis homini Christiano delicijs abstineas, si eum nequeas severiore vitæ disciplina, aut ultro sumptis de te supplicijs imitari.

Alterum: Ut ad idem exemplar respiciens, ac se componens, id speciatim sibi cavendum putet matrona aut Virgo Christiana, ut ne immodico & inverecundo præsertim capitis sui cultu, videatur Christi doloribus ac spinis velle illudere, & tanquam si ei non ista sufficiant, quæ olim à militibus passus est, vanitate ac levitate suâ (ne lascivia dicam) venerandum illius verticem velut arundine pulsare, & super dolorem vulnerum ejus addere.

Quid enim aliud sunt torti illi crines & calamistro crispati, quos jam olim à fæmina Christiana proscripsere (multò autem magis à viro proscriberent, si is tum abusus in Christianorum mores irrepsisset) in suis epistolis SS. Apostoli Petrus & Paulus? Quid pulvis Cyprius, etiam virorum capitibus per ridiculam vanitatem inspersus? Quid illa pigmenta, unguenta, fuci, & illud etiam priscæ luxuriei instru-

1. Petr. 3.
1. Tim. 2.

instrumento ignotum nomen, fronti aut genis (ut nunc appellant) affixæ muscæ, & tot alia formæ naturalis adulteria? Quid universus ille pudendi luxus ac luxuriæ administer apparatus, & rerum numero ac varietate, verè mundus muliebtis? Quid, inquam, ista sunt, nisi totidem Christi crucifixi & spinis coronati opprobria? Heu! quàm dissimiles, cultus tuus & cultus illius: cujus utique calamistrum & acus, spinæ sunt, cujus stibium & purpurissum, sputa sunt concreto mixta sanguine; cujus gemmæ atque uniones, cruentæ guttæ sunt, de oompuncto capite stillantes; cujus denique ornatus omnis, purpura est cruoris sui, de toto corpore tot vijs ac modis expressi. *Talem*, inquam rursus, *inspice JESUM. Quis hic locus deliciarum?*

Hâc contemplatione S. Elisabetha Hungariæ Regis filia, cùm aliquando, die solenni, pro ratione personæ suæ, cultu splendido ac magnifico in templum processisset; ad Christi inquam in cruce pendentis, ejúsq; nudi ac spinis coronati intuitum, cùm cultum sui corporis cum ejus nuditate, aureum capitis sui ornatum cum ejus spinis componeret, ita animo perculsa & consternata est, ut defecta viribus, similis exanimi concideret, & exinde à se omnem ornatum ejusmodi, quoad fas fuit, averteret, solo cultu simplici ac necessario contenta. *L. 2. Vit. c. 3.*

Quòd si in fæmina Christiana qualibet, ea cultûs corporis moderatio ita commendatur, & exigitur: quantò ei dicemus magis esse necessariam, quæ etiam peculiari nomine Christo se dicatam profiteatur? De qua proinde loquens S. Ambrosius: *Succingat*, ait, *sacra Virginis crinem*, (instar vittæ mimirum aut fasciæ) *modestia, sobrietas, continentia: ut virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici sanguinis velamine, mortificationem Domini JESU in sua carne circumferat*; eodémq; cum sponso suo gaudeat ornatu. *De instit. Virg: c. 17.*

Postremum: Ut inter acerbitates atque adversa mortalis

talis vitæ, inter corporis dolores, angores animi, contemptus atque opprobria, solentur te spinæ Domini tui. Qui etiam idcirco (ex mente B. Chrysostomi) coronam spineam gestare voluit, ut solicitudines, curas & angores vitæ nostræ extirparet, & in securitatem converteret. *Ipse enim*, inquit, *in doloribus & curis fuit, ut nos doloribus careremus.*

Serm: de pass: & cruce.

Et sanè quantulum est, omne quod in vita patimur, collatum cum supplicijs Salvatoris? Ingens iste capitis, aut aliorum artuum acutus dolor, ærumnæ istæ calamitatesq; (ut tu quidem appellas) intolerabiles, spinula solùm sunt, ad illum aculeorum exercitum, qui denso agmine sacrum Domini tui caput impetiêre & oppressêre. Ut enim ait S. Augustinus: *Quantumcunque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremò crucem non pervenies.* Quem etiam in morem, dum ab æmulis suis premeretur S. Gregorius Nazianzenus, consolabatur ærumnas suas: *Quota*, inquiens, *hæc sunt pars injuriarum, dum conspueretur & cæderetur? Omnia non uni conferenda corona spineæ duco; per quam me quoque vitæ asperitate coronari animadverto.* Sic ille. Qui etiam dicens, se vitæ asperitate coronari; vel eò id facit, quò injuriarum malorúmq; suorum vim ac multitudinem significet; quibus undique obseptus, & in modum coronæ cinctus sit; secundùm illud Isaiæ 22. cap. *Coronans coronabit te tribulatione;* vel (ut ejus verba magis indicant) quòd ærumnas suas, ut coronæ spineæ partem aliquam ac repræsentationem aspiciat, vel demum quòd eas coronæ loco, aut instar præclari diadematis habeat, in gloria ducens affligi, contemni, illudi, & Domino suo spinis confixo & opprobriis saturato, conformari. Revera enim (quidquid perversè mundus sentiat) gloriosa sunt & expetenda Christiano, Ducis sui exemplo suscepta & tolerata opprobria: quorum utique patientiâ & ipsi Christo effici-

In ps. 36. p. 2.

Orat. 25.

efficiatur similior, & eum ornet atque coronet, atque ita compenset atque suppleat quodammodo, eidem velut ludicro regi olim illatas contumelias, dum pro ejus gloria quæcunque adversa hilarè sustinens, eum agnoscit profitetúrq; regem gloriæ, & regem ac Dominum cordis sui.

§. 5.

Christum IESVM pro corona spineâ, gloriâ & honore pro nobis coronandum esse.

AD *extremum:* & illud enitere (quod quidem jam dictis affine est) ut pro serto doloris & opprobrij, quo pro te cinctus est Redemptor tuus, eum tu pro tuo modulo, gloria & honore corones. Equidem cujusque virtutis gratia in nobis efflorescens, corona est, quâ ipsi coronemur & Christus. S. Ambrosius: *Joseph* (inquit) *coronam habuit castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, quâ eum Ecclesia coronavit.* *In psal. 118. serm. 14.*

Sed amat præsertim coronari ijs corollis, quæ de nostris doloribus, vexationibus, opprobrijs contexantur, ipsius amore promptè libentérq; toleratis: quæ licet per sese considerata spinæ sint; ut quæ suis nos aculeis acriter pungant atque vulnerent; ut tamen effectus sunt & argumenta amoris nostri, rosæ sunt, quibus ille coronetur. Ita se visendum aliquando præbuit S Mechtildi, ornatum coronâ variorum florum, quos sese collegisse diceret ex varijs doloribus, quos ipsa in capite pertulisset. Atque uti aliàs ex Henrici Susonis vita retulimus, sub pueri specie idem Salvator cùm roseto insidens visus esset amœno, & amplâ rosarum messe conspiciendo (quibus diversas Beati Viri vexationes adumbrari dicebamus) rosis, de eodem utique rosario decerptis, coronatus apparuit: ut vel sic testatum faceret, quàm eum delectet nostra patientia, fortitudo ani- *L. 1. c. 24.*

mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro ejus honore toleramus.

Igitur quicunque te dolor aut molestia, quæcunque ærumna afflictióve exercuerit; offer illa Christo veluti flores suavissimos; & ex omnibus ei sertum confice, quo ille jucundissimè coronetur. Qui flores si nondum apparuerint in terra tua, est unde incuses sterilitatem amoris tui; ut qui non nisi spinas & tribulos, tot adhuc noxarum in dies germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullos proferas, quorum amœnitate ac fragrantiâ dilectus tuus præsertim capiatur.

CAPVT VII.

Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem Calvariæ contendentis.

§. I.

De ipso mysterio nonnulla.

ADes hîc rursum Regis dolorum amatrix anima, ac mæstis oculis ac corde dolore saucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increscant cruciatus & opprobria dilecti tui. Ut enim hîc cum Propheta exclamem: *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israël?* Jerem. 18.

Huc igitur indignitatis deventum est! DEI filio, hoc est, ipsi virtuti atque innocentiæ, per summam injuriam sacrilegámq; sententiam crux decernitur; nec decernitur modò, sed viarum labore, inediâ, vigiliâ fatigato, flagellis attrito, & tantùm non confecto vulneribus, immisericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad supplicij locum, non jam ducitur, sed raptatur. Ergo qui, rectè

teste Isaiâ, *appendit tribus digitis molem terræ*, & absque labore, vel minimo (ut de eo nominatim Apostolus) *portat omnia verbo virtutis suæ:* is jam (B. Cypriani phrasi) *patibuli sui bajulus*, Calvariæ collem, dolens ac gemens, & sub onere lapsabundus, inscendit.

Isai. 40.

Heb: 1.

Serm. de pass.

Bajulans sibi crucem (inquit sacer Evangelista) *exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Tribus verbis, quanta complexus est! nam & *bajulat* JESUS, hoc est, onere indigno premitur; & *crucem* bajulat, hoc est, pondus infame, & conscleratorum supplicium; & *sibi* bajulat, hoc est, ut in ea demũ figatur, pérq; cruciatus intolerandos immoriatur. Atque horum quidem & similium, quæ in hoc mysterio continentur, consideratio, uberem nostris mentibus piorum conceptuum silvam, & magnam sanctarum affectionum materiam subministrare potest. Veruntamen, quod huc propriè pertinet, ut crucis, quam tunc Christus pertulit acerbitas, quantúmq; ei debeamus isto nomine, penitiùs intelligatur; videamus duntaxat hoc loco, an quando suprema Providentia (ut de ea loquitur Liber Sapientiæ, de pœnis Ægypto inflictis agens, & adhibitâ in ijs inferendis moderatione) *omnia in mensura, & numero, & pondere constituit:* hanc etiam Legem in cruce ipsi DEI Filio constituenda, servandam sibi existimaverit; an verò è contrà, quò justitiæ suæ plenè satisfaceret, simúlq; amoris erga nos sui vim & exuperantiam ostenderet, sine lege & modo, & mensura, atque extra omnem consuetæ providentiæ rationem, humeros illius prægravârit.

Joann. 19.

Sap: 11.

§. 2.

Gravitatis crucis, quam Salvator sibi bajulavit, ponderatio.

QVodnam igitur credimus crucis Christi pondus, quem numerum, quam mensuram fuisse? Atque ut de pon-

dere primùm dicamus: Quàm grave fuerit Redemptori, quámque vires omnes humanas excedens, pondus crucis quâ ille gravatus contendit ad montem Calvariæ; ut de corporali ligni pondere jam non dicam (quod tantum fuit, ut exhausto jam ac viribus defecto Domino impositũ, eum per viam aliquoties in lapsum impulerit) id adeò exinde potissimùm debet conijci, quòd non illam tantùm crucem corpoream atque aspectabilem bajulârit, sed unà cum illa, universis mortalium criminibus (quæ veluti pius fidejussor voluntariè in se susceperat, quæq; innocentes ejus artus nimium quantum degravabant) oppressus veriùs quàm onustus incesserit. Ita enim testis est Isaias; posuisse Dominum in eo iniquitates omnium nostrûm; & ipsum peccata multorum tulisse, & iniquitates eorum portasse. Et S. Petrus Apostolus: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* seu, veluti legunt SS. Athanasius & Cyrillus Alexandrinus, *in lignum;* prout etiam expressit Syrus interpres, illa Petri verba ita in rem nostram convertens: *Qui bajulavit omnia peccata nostra, eáq; sustulit in corpore suo ad crucem.* Vah! pondus immensum, & humeris tuis, ô bone Jesu (audenter dicam) importabile. Nam si unius olim Hebrææ gentis maleficia, aut ipsa etiam impiorum hominum sacrificia, tam gravia erant ipsi Divinitati, ut propterea ita queratur, quasi ijs ferendis non esset, dicens per Isaiam: *facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et infrà: *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* quî ferre possis immane pondus, ex immensa mole tot scelerum, quæ humanum genus universum, ubivis gentium, locorum ac temporum in se admisit, conflatum, jámq; totâ vi suâ dorso tuo miserè incumbens; quando vel eorum sola recogitatio ita te in horto orantem afflixit, ut velut pondere intolerabili oppressus, in faciem tuam procideris, & præ animi angustia cruentum toto corpore rorem exsudaveris?

Isai. 53.

1. Pet. c. 2.

Isai. 1. & 43.

Quam

Quamobrem S. Augustinus in sermone quodam sic Christum loquentem inducit, & istud peccatori exprobrantem: *Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, onerâsti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam, tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.* *Serm. 67. de temp.*

Deinde, quod ad numerum attinet; crux illa dulcissimi Redemptoris, re ipsâ quidem una censetur, at potentiâ tamen seu facultate, non una est, sed innumerabiles. Neq; enim tantùm, quod dicebamus, omnia in se complectebatur hominum scelera, quorum unumquodque instar crucis illi esse poterat, ob incredibilem adversùs Patrem tam graviter offensum, & adversùs eos, qui eum offenderent, amorem, verùm etiam ipsas cruces nostras, hoc est, omnium prorsus mortalium pœnas, dolores, angores, afflictiones: quas quidem in se susceperit, quò eas à nobis depelleret, aut sanè nobis compatiendo, sibi communes quodammodo faceret. In quem item sensum, ut à nobis antea indicatum est, nonnulli accipiunt, quod dictum est ab Isaia: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* nimirum ut quasdam spiritualis crucis ejus particulas; ex quibus omnibus in unum aggregatis & accumulatis, necesse fuerit multùm aggravari dolores ejus; atque ex ijs novam quandam crucem, eámq; tum mole tum numero vægrandem conflari ac coalescere. *Isai. 53. Apud Sanctium ibid.*

Præsertim autem si cui addere libeat, in eo sensu quo jam loquimur, ipsas quoque damnatorum pœnas velut in cumulum crucis Christi venisse: non quòd ipsa per se damnatorum supplicia in passione sua expertus sit (prout impiè deliravit Calvinus) sed quòd ex æterno tot animarum interitu (quas ipse impensè diligeret, & pro quarum salute moriebatur) atque ex earum acerbissimis supplicijs, quorum gravitatem suo pondere æstimaret, ingentem animo dolo-

dolorem ceperit, eásq; (uti de pœnis hujus vitæ dicebamus) sincero quodam condolentiæ sensu, suas quodammodo fecerit: quanquam, quod ad id attineret, simul se paternæ providentiæ per omnia subijceret, & divinæ Justitiæ leges ac rationes approbaret.

Sanè B. Ambrosius, tristitiæ Christi, sub passionem suam causas exquirens, & locum citatum Isaiæ ex septuaginta Interpretum versione ita legens: *Qui peccata nostra portat, & pro nobis dolet*; ita loquitur in rem nostram: *Doles ergo Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed meam infirmitatem.* Et infrà: *Nec illud distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immani sacrilegij pœnas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem à me: non quia DEI Filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat.* Et B. Angela dicit, Christum in passione sua, non solùm doluisse de singulorum hominum peccatis, sed etiam de pœnis, quas quemque sciebat propterea incursurum esse; quas ipse eisdem compatiendo sustinuerit, cum summo & quodammodo infinito dolore. Atque post hæc incidi in tomum 4. operum S. Bernardini, ubi sermone 40. disertè dicitur; quòd *quanta est pœna damnatorum, & futuram intelligebat, tantam pœnam portavit Christi anima benedicta.* Item, *quòd dolor ille infernalis erat in anima DEI, & totum illum ferebat in mente ex compassione.* Quâ postremâ voculâ, mollienda est utique præcedentium verborum durities; ut nempe per ea duntaxat velit, quisquis est autor: pœnas istas in Christi anima non nisi per quendam compassionis affectum extitisse; atque eum ipsum fuisse tantum, quanta est pœna damnatorum, hoc est, quantum ipsa congruenter esse exigeret; & veluti ipsa pœnas omnes acerbitate superat, ita proportione, summa esset de illa compassio.

Lib. 10. in Luc.

Vit. c. 61.

§. 3.

§. 3.

Quâ ratione ipsa Crux Christi immensa & interminata fuerit.

TRiplex igitur veluti crucis genus (quæ tamen partibus constarent innumerabilibus) Salvatoris humeris impositum, atque ab eo in Calvariæ collem sublatum, in jam dictis licet agnoscere. Prima est crux corporalis, quam ei imposuêre Judæi, instrumentum feralis supplicij, & quam tulit in montem, ut in ea suffigeretur.

Altera est crux peccatorum nostrorum, quam imposuit ei Pater: quæ videlicet peccata nostra in suo corpore Salvator sustulit in crucem, ut ea secum crucifigeret; aut sanè velut ligna holocausti, sibi (ut alteri Isaaco) à Patre imposita; quibus in ara crucis inflammatis, ipse ut hostia Deo acceptissima consumeretur. Constat enim ipsa peccata nostra mortis Christi causam, ac proinde crucis holocausto, quasi ligna ac materiam præbuisse.

Postrema est crux languorum nostrorum atque dolorum, quam ei suus imposuit erga nos amor; quosq; in se ipse suscepit, ut eos cruce ac morte sua vel auferret penitus, vel mitigaret, & quasi per sacram suam humanitatem illos transmittens, dulciores nobis efficeret, aut denique suo illo quasi attactu (quò nobis ad salutem proficerent) consecraret ac pretiosos redderet.

Ex quibus denique pronum est effici, quod ad tertium caput ex suprà propositis attinet, crucem illam Christi, quâ onustus in montem exijt, extra omnem modum mensuramque fuisse. Quòd enim parte superiore cum S. Augustino & alijs, quandam crucis Christi latitudinem, longitudinem aliásve dimensiones assignavimus; non eò factum est, quasi ea possit certâ aliquâ mensurâ definiri, sed potiùs ut hinc appareret, eandem supergredi mensuram omnem, seu, secundùm

cundùm omnem dimensionis modum, esse interminatam. Jam verò quid denique causæ esse dicemus; quòd cæteras quidem opera sua, in mensura & numero & pondere, Deus disposuerit, ipsas etiam hominum pœnas certis legibus definiens, eásq; cum quadam indulgentia, & velut parsimonia infligens, atque (ut Sapiens loquitur) *cum magna reverentia disponens nos:* at in affligendo Unigenito, hujus suæ consuetæ ordinatæq; providentiæ quodammodo oblitus esse videatur? Nisi (quod principio indicabamus) hunc fuisse summi erga nos amoris excessum, qui nec modum nec legem noverit. Ut in cæteris quidem operibus emineret voluerit supremam illam sapientiam, cujus est ordinem ac modum rationémq; rebus præstituere: at in opere Redemptionis potiores partes amori tribuit, cui citra probrum (absit tamen dicto invidia) quodammodo licet esse insipienti. Quò spectat, quod S. Franciscus in Cantico suprà à nobis memorato, disertè ait; eo in opere, amorem Christo abstulisse sapientiam & potentiam, & has quidem ita latuisse, ut solus se proderet amor. In quo proinde *nimiam* erga nos *charitatem* Dei agnoscit Apostolus, prout expressit noster Interpres; & S. Bernardus: *Verè nimiam* (inquit) *quia & mensuram excedit, modum superat, supereminet universis.* Qui rursum alibi *Charitatem sine modo*, seu immodicam eam appellat, & pij quidam Scriptores (ut antea vidimus) quandam hîc (uti loquuntur) *amoris intemperantiam*, non verentur admittere.

Sap: 12.

Ephes. 2.

Fer. 4. hebdomadæ pœnosæ.

Quò vicissim nobis intelligamus, magnam esse impositam necessitatem, Deum toto cordis affectu diligendi, nósq; ipsos totos ei reddendi; sive æterni Patris respectu, qui tanto amoris ardore filium suum pro nobis omnibus tradiderit; sive filij, qui suppari affectu tam atroces pœnas pro salute nostra in nos susceperit: simúlq; nos viles, ignavos, degeneres futuros, nisi tanto exemplo incitati, prompté

ptè in humeros sublatâ cruce nostrâ, amantissimum Ducem ac Redemptorem nostrum assectemur; de quo nunc agendum expressiùs.

§. 4.

Quid à nobis præsertim exigat præsentis mysterij contemplatio.

EX eo exemplo Domini JESU crucem bajulantis, & sub indigno ejus pondere, extra portam Jerosolymæ ad locum supplicij contendentis, rectè conficit ad Hebræos scribens Apostolus: *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes.* Heb: 13.

Primò quippe loco illud hîc nobis ponendum est, & pro rei momento altè in pectus demittenddm: Unicuiq; eorum, qui JESUM sequi, hoc est, salutem consequi voluerit, crucem suam cum Christo esse ferendam: frustráq; sibi blandiri quenquam, quasi illa Domini exhortatio: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, &c.* ad solos Religiosos & severioris disciplinæ Professores pertineat, aut certè non sit præcipientis, quod absolutè necessarium sit, sed ad meliora aut perfectiora invitantis. Nam & S. Lucas ea Domini verba referens: *dicebat autem ad omnes*, inquit; & alibi Salvator disertè universéq; pronunciat: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*; hoc est, non est dignus Christiani nomine, regno meo, Societate meâ. Matth: 16. Luc: 9. Matth: 10.

Nec dubitare debemus (quæ S. Leonis verba sunt) *hanc vocem, non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles pertinere.* Quia, ut idem ait cum Apostolo: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo JESU, persecutionem patientur. Sicut ergo totius est corporis piè vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* Necesse quippe est piè viventem, Deóq; placere cupientem, varijs probari exerceríq; tentationibus; &, ut desit externus persecutor, ipsum sibi vim inferre continuam, ut Serm. 9. de Quad. 2. Tim. 3.

ad malum pronas cupiditates cohibeat, ut sensus à nocu retrahat, ut denique (Psalmistæ phrasi) carnes suas Dei more configat. Unde etiam ad modò relata Apostoli verba S. Chrysostomus: *Impossibile est*, inquit, *ut qui malis bellum indixerit, pressuris careat; nefas est pugilem DEI, vacare delicijs, non licet epulari luctantem*. Accingat ergo se ad crucem ferendam, quisquis vult in Christo piè vivere, & per aspera tribulationum in Regnum DEI introire.

Secundo loco id observemus, quòd, quemadmodum Redemptor noster, non utcunque crucem bajulasse scribitur, sed sibi, sive in qua figendus, atque ad extremum in ea moriturus erat; in quo longè diversa fuit ejus ratio, atque Simonis illius Cyrenæi, qui etiam crucem bajulavit, sed alienam, nec sibi sed Christo figendam: ita quisque nostrum crucem suam bajulare debeat, suam, inquam, cui immoriturus sit, & in qua agonem virtutis, ac patientiæ certamen consummaturus. Quo nimirum nobis in complectenda cruce atque ferenda, fortis alacritas, & in persequendisque ad mortem Christi vestigijs, constans perseverantia commendatur.

Qui mediocri virtutis perfectione contenti, evangelicæ crucis pondus, aut mortificationis studium, velut guidè primùm suscipiunt, vel cùm animosè ferre cœperunt, laboris tædio atq; impatientiâ lassescunt, & animi ardorem conatúmq; remittunt; ij quodammodo consistunt ad pedem Calvariæ, neque per signatas divino sanguine semitas ad montis cacumen unquam evadunt, multò minùs ipsum crucis Christi fastigium, sive summum apicem Christianæ perfectionis, apprehendunt.

Crucem igitur suam tollere, vitæ perfectæ inchoatio est; at Christum sequi, eóq; quò ille cum cruce sua aggressus est, pervenire; suprema virtutis absolutio, & consummatio est evangelicæ perfectionis. Quod ipsum fortasse

tassis indicare voluit S. Hieronymus, cùm dixit: *Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, & denegat semetipsum, tollit crucem suam, & mundo crucifigitur: cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum.* Quasi dicat: eum, qui suis pravis cupiditatibus carnisq; desiderijs renunciat, crucem suam tollere: qui verò insuper, perfecto studio divinæ imitationis, dura & aspera, & carni suæ inimica consectatur, hunc jam sequi Dominum crucifixum. Quod clariùs explicat in sequentibus, dicens, citatis illis Matthæi verbis (*Si quis vult post me venire, &c.*) provocatos à Christo discipulos, *ut abnegarent se, & morientium animo sequerentur Magistrum.* Quod enim dicit, *morientium animo;* vel ad id retulit quod dicebamus, nempe crucem nobis ita ferendam, ut in ea nobis moriendum denique existimemus; vel certè studium perfectæ mortificationis insinuat, cujus duæ istæ quasi partes sint, abstinere scilicet, & sustinere; abstinere placitis, & sustinere contraria: ex quibus tanquam duobus lignis, oporteat uniuscujusque crucem, qui Christum sequi perfectè voluerit, construi atque constitui. Placet etiam quod observat hoc loco Chrysostomus; cùm ad crucem tollendam hortatus esset, illico subjunxisse Christum, *& sequatur me;* ut intelligeremus, crucis aut passionis tolerantiam non sufficere, nisi insuper ex Christi amore atque imitatione patiamur: alioqui enim sterilem fore laborem nostrum, & infructuosam quorumvis malorum perpessionem. Ut scitè Joannes Thaulerus, eos Religiosos, qui sine spiritu, & aridâ duntaxat consuetudine, aut etiam inviti, jugum religionis supportant, *Martyres infructuosos* appellârit: quòd nimirum eos necesse sit, ex suæ professionis ratione, & longo tanquam martyrio confici & extabescere; & tamen tot molestiarum fructum nullum, aut mercedem referant; quia crucem portant, sed non post Christum, hoc est, non ijsdem cum Christo vesti-

In c. 16. Matt.

Hom. 56. in Matt.

Instit. c. 11.

gijs, non eâ formâ, sensu, mente, non eo spiritu, quo Christus.

Ultimo loco adjungimus; ad crucem nostram, sive generosè tollendam, sive constanter perferendam, magno incitamento esse debere: quòd eam non tantùm portemus post JESUM, idque in magno comitatu cujusvis ætatis, sexûs, ac conditionis hominum, suam humeris crucem jucundè hilaritérq; portantium, atque Christum (quod hic ait noster Cornelius) per crucem ad mortem, & per mortem ad beatam immortalitatem, sequentium: verùm etiam hanc ipsam crucem nostram conjunctim portemus cum JESU. Et ita quidem, ut (quemadmodum in Simone Cyrenensi subinde exhibent nostri pictores) non nisi extremum ejus tangere, aut eam minimâ sui parte supportare videamur, reliquo illius pondere, & ipsâ quasi totâ cruce, divinis humeris incumbente. Nam, juxta quod antea dixi-mus, etiam hoc sensu: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Eòsq; hoc pacto nobis leviores et tolerabiliores effecit: simul gratiæ suæ tanquam oleo jugum nostrum leniens, & quâdam amoris dulcedine, & efficaci saporis intimi suavitate cruces condiens, ut propterea hunc in modum soleret JESUM precari Thomas à Kempis: *Sapiat mihi beata crux tua, & taliter sapiat, ut meam libenter feram:* Simul denique potenti exemplo, & magnis promissis nos alliciens, & quasi nos respectans identidem, & veluti digito sursum intento, cœlestes coronas ostentans; ut ne fatigemur animis nostris deficientes; sed per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Unde S. Augustinus: *Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere. Nòli tantùm attendere quà iturus es, sed & quò iturus es. Tolerabilia dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam.* Hæc Augustinus.

Orat. 2. de pass.

Conc. 2. in ps. 36.

CAPVT

CAPUT VIII.

Imitatio Christi, in cruce pro inimicis deprecantis Patrem.

§. I.

Admirabilis ejusce facti consideratio.

MUlta supra communem naturæ cursum, multa præter usum disciplinámve mortalium, in Christi passione ac morte contigère: sed nihil fortassis admirabilius simul & amabilius, nihil nostrum omnium, qui Christi nomen atque doctrinam profitemur, imitatione dignius, illo incredibili erga persecutores dilectionis exemplo, quod stupenti mundo in patibulo pendens Christus exhibuit; pro inimicis suis Patrem deprecans, & ijs quidem inimicis, quorum etiam manus suo ipsius cruore stillantes aspiceret, & quorum studio, ipso in tempore, morte indignissima ac crudelissima conficeretur. At quæso te, anima Christiana, ejusdem facti admirabilis conditiones, atque adjuncta tecum pensiculatiùs perpende.

Versabatur benignissimus Redemptor in magnis ac supremis angustijs, & tantùm non cum morte luctans, propinquantis leti prænuntijs doloribus occupabatur. Nulla erat in toto corpore cruciatûs ac pœnæ pars vacua; & super veterum plagarum à flagellis, à spinis acerbitatem, manabant residuo sanguine manuum pedúmq; cruda vulnera, recenti clavorum impactu per venas & nervos inflicta. Ad hæc pulsabant benignas aures atrocissimæ inimicorum contumeliæ, & amaræ opprobrantium irrisiones, vocésq; invicem plaudentium, & veluti re ex voto gestâ, hostis sui capitalissimi ultimum exitium gratulantium.

Quid inter hæc clementissimus JESUS? tanquam horum

rum nihil ipse sentiret, aut ea ad se non pertinerent, suimet oblitus, sed charitatis suæ nusquam immemor, unâ curâ salutis inimicorum suorum tangitur, & conversus ad Patrem, veniam eis pacémq; flagitat: *Pater*, inquit, *dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Ubi rursum & has ejus orationis circumstantias attende.

Luca 23.

Primùm enim, vix crucis aram universo mundo Patrem placaturus inscenderat (ut enim ait S. Leo, *crux ara fuit, non templi, sed mundi*) & ecce, prætermissis cæteris, prima illi est & antiquissima de tortorum suorum salute solicitudo, prima pro crucifigentibus se deprecatio: perinde atque si nullos his chariores haberet, aut de illo ipsi præcæteris bene meriti essent. Itaque qui in se discruciando & excarnificando potiores partes habeant, hos fructuum crucis & mortis suæ optat esse primitias. quomodo à B. Petro Damiani appellari video felicem latronem, quem utique satis est credibile, principiò Christo convitiatum, eóq; & ipsum Christi persecutoribus annumerandum esse.

serm. 49.

Deinde observa, quàm non timidè aut dubitanter hanc causam oret. Non dicit, ut nuper pro se ipso in horto deprecans: *Pater, si vis, si possibile est; verumtamen non sicut ego volo, &c.* Sed nullâ adjectâ conditione, liberè fidentèque postulat: *Dimitte illis*; ut hac ratione ingens demonstret salutis eorum desiderium, & efficaciùs, id quod contendit, obtineat.

Postremò, quod aliàs non solet, adjungit & postulari causam, allegatâ scilicet facti ignorantiâ, ut eò veniâ dignos ostendat, quòd non tam animi pravitate tam grande scelus designaverint, quàm humano quodam errore ducti ad illud descenderint; *Non enim sciunt*, inquit, *quid faciunt*: quasi in hunc modum instaret Patri. Tuam hic ego misericordiam ac clementiam, Pater optime, quo possum affectu imploro atque obtestor. Noli, amabo, attendere

dere à quibus ego ista patiar, sed quorum gratiâ, & quorum amore moriar. Hi quidem acerbè & crudeliter in me sæviunt: sed nescientes serviunt altitudini consilij tui, quo non nisi morte Unigeniti salvare mundum, *& pacificare per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, constituisti. Nimirum & isto sanguine mundari, ac tibi reconciliari possunt, etiam qui ipsum de venis meis in mundi totius remedium extraxerunt. Sine, hosce delibem tibiq; offeram passionis meæ fructus primulos, etiamnum calenti meo sanguine aspersos atque coloratos. Per hunc ipsum ego te sanguinem, per dolores quibus exanimor, & crudelem istam meorum artuum distensionem; per hoc vespertinum sacrificium, quod tibi nunc offero in elevatione manuum mearum: ignosce, Pater, neque hanc illis noxam imputa, in quam non malitiâ illi quidem, sed mei ignoratione incidêre. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vocem enimverò Deo-homine dignam! & prodigiosam suavissimi cordis Christi charitatem!

Col. 1.

1. Cor. 2.

Vide nunc (exclamat admirabilitate rei perculsus mellifluus Bernardus) *vide nunc opera Domini; quæ posuit prodigia super terram. flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus; omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis.* Et posteà: *O quàm multus es ad ignoscendum! ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! ô quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! ô quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille exclamat, Ignosce: Judæi, Crucifige:* & quæ sequuntur.

Fer. 4. hebdomad.

§. 2.

Clementiæ Christi, & humanæ inclementiæ in re proposita comparatio.

Verùm,

VErùm, dulcis JESU & Redemptor mi clementissime, ut hujus fidelis servi tui sensibus paulùm insistam in præsentia: quantum hîc dissident cogitationes tuæ à cogitationibus nostris, & viæ tuæ à vijs nostris.

Ecce tu in ipsis extremis ac mortiferis doloribus, in dira membrorum ac viscerum tuorum carnificina positus, ijs ipsis crudelissimis tortoribus, qui per mille mortes animam tuam extrahunt, ac pœnis tuis ludunt, non modò ex animo ignoscis, sed etiam extensis in cruce brachijs, oculis sanguine fletúq; rorantibus, illis placare studes offensum Patrem, eorúmq; causam velut clientum addictissimorum suscipis. Nos si verbulo tantùm aut signo aliquo sinisteriore læsi sumus, eorum qui vel imprudentes offendisse nos existimentur, non modò convictum & consuetudinem, sed occursum etiam atque conspectum aversamur.

Tu, dum odio ac furore incitati inimici tui, modis omnibus excruciatum, in crucem demum moriturum te adigunt, tuósq; dolores exacerbant intolerandis opprobrijs, etiam vigentem instantémq; ac prementem injuriam, mente aliò conversâ, non attendis, sed dissimulas, sed elevas, atque iræ paternæ avertendæ, post homines natos atrocissimo sceleri, ignorantiæ aut incogitantiæ velamen dulcis patronus obtendis. Nos levissimam ac penè nullam offensionem altâ ac pertinaci mente repostam, ipso tempore obliterari non patimur; sed (quod portenti est simile) mortales adversus mortales immortalibus odijs ardemus, nequaquidquam de vindictæ studio vel sub ipsa morte remittentes, etiam in sepulchro ac frigidis nostris cineribus odia inextincta vivere cupimus.

Tu denique inimicis tuis, neque noxam suam confitentibus, neque deprecantibus injuriam, sed perstantibus in amentia, & sceleris sui ardore inflammatis, quantum in te est, pacem offers, provocas ad amicitiam, & (quod ait Scri-

Scriptura) carbones ignis, non illos furoris atque vindictæ, sed flagrantissimæ charitatis, super illorum capita congeris. Nos subinde, per summum nominis Christiani opprobrium, etiam hoste supplice, & ad pedes nostros abjecto, perstamus inexorabiles, & veniam pacémq; orantem, ne aspectu quidem dignamur. Et inter hæc quis es tu Domine, & quid nos sumus? Tu Dominus Majestatis & gloriæ, & princeps Regum terræ, qui claves habes vitæ & mortis, in cujus manu sunt cœli armamentaria, qui potes rogare Patrem, & exhibebit tibi modò plus quàm duodecim Legiones Angelorum, cujus denique ad percellendos inimicos, vel ipsa vox tonitruum est, indignatio, fulmen; te ipsum ulcisci cùm possis nullo negotio, tamen non modò ultione abstines, sed tui interfectores crudelissimos atq; injustissimos ulnis dulcissimæ charitatis astringis, apprimisq; tuo pectori, volens eos in primis fructûs mortis tuæ atque sanguinis esse participes. At nos terræ filij, & velut fungi noctis unius, aut humi sanè repentes vermiculi, ad quemvis attactum instar immanis hydræ tumentes, veneno turgida colla attollimus, ignem spiramus, pestem & exitium spargimus. Et quidquid tandem est illatum injuriæ, quacunque possumus ratione ulciscimur: atq; ubi ejus facultas deest, tamen omnes vias ulciscendi circumspicimus, in idque superos atque inferos advocamus.

Rom: 12.

Atqui (ut jam divinam humanámq; personæ tuæ dignitatem taceam) tu, ille agnus innocens, & sine macula, tu vir mitissimus super omnes homines, & qui nullâ quemquam injuriâ læseris, sed pertransieris benefaciendo & sanando omnes; talem sustines adversùs temetipsum à peccatoribus contradictionem. Ubi nos qui fastu nostro, atque animi impotentiâ, atque tot malè seu dictis seu factis alios læsimus, & (ut nihil aliud) Deum atrociter offendimus, & mille gehennas fortasse commeriti sumus; ferre non possumus

ſumus vel umbram injuriæ, ſed continuò ad arma procurrimus, ruimúsq; in cœdes mutuas, & amentiam hanc atque furorem (in diſciplinæ Chriſtianæ contumeliam) generositatem atque excelſitatem animi vocamus.

Nimirum plerisque Chriſtianorum imponit neſcio quæ honoris umbra, & fucata ac fallax gloriæ ſpecies faſcinat oculos; ut jam non attendant ubi conſiſtat vera gloria quàm manifeſtum ſit in Domini noſtri imitatione, & propinquo ad DEUM morésq; divinos acceſſu ac ſimilitudine ſitam eſſe. Itaque quod olim alia de cauſa deplorabat S. Chryſoſtomus: *Honoris ſervi facti ſumus, DEO dimiſſo:* popularésq; rumuſculos, hominúmq; de nobis opiniones, (quod rectè judicanti, inſaniæ eſt manifeſtariæ) ante ſalutem ponimus.

Hom: 10. Eph:

At, ô bone JESU, quid hic obtendemus excuſationis, ubi in conſpectum tuum venerimus? aut quam à te expectabimus veniam, ſi adverſùs eos qui nos læſerint, implacabiles nos inexpiabilésq; præbemus? Nam ſi, ſecundùm Evangelium tuum, eâdem Lege nobiſcum ages, quam alijs ipſi ſcripſerimus: perijmus ſanè, & ipſo noſtro præjudicio prædamnati, jam ante judicium tuum, reſponſum mortis in nobis habemus.

§. 3.

Evangelicæ diſciplinæ prima de re præſenti præcepta.

SEd quando hoc loco, non de communibus Chriſtianæ vitæ officijs diſputamus, verùm hominem perfectionis ſtudioſum, & Dominum ſuum propiùs imitari cupientem, ſanctioribus monitis inſtruimus: videamus potiùs, quibusnam præceptis ars ea conſtet, & quâ ratione ad maiorem animæ profectum excolenda, & ad uſum ipſum adhibenda videatur.

Diſciplinam hanc omnem Magiſter cœleſtis tribus pra-

præceptionibus summatim complexus est Matthæi 5. capite. Quarum illa prima, ac cæterarum tanquam basis est: *Diligite inimicos vestros.* Quam ad rem, ultra Præceptoris exemplum, multa sunt, quæ solertem Christi discipulum excitent. ut ecce:

Primò: Quòd ea diligendorum inimicorum professio, propria laus sit Evangelicæ disciplinæ: neq; aliâ re magis denotari atque discerni possit, simúsne re ipsâ, an ore tenus & vocabulo tantùm Christiani. Nam ab infideli quid jam distabit Christi sectator, si amicos duntaxat & in se beneficos is diligat: cùm, ut admonet ibidem Salvator, etiam Ethnici id faciant; imò & brutæ animantes, quos sibi bene velle ac benefacere sentiant, etiam ipsæ redament, ipsâ id tradente, atque ita instituente, naturâ?

Secundò: Quòd inimicorum dilectio præclaræ cujusdam atque heroicæ virtutis actus sit; eáq; propter res Deo cumprimis accepta. Dum nimirum ipsius amore, comprimimus in nobis suffocamúsq; blandam sanè atque humanæ menti altè insitam vindictæ cupidinem, & infesta adversantium odia, quadam charitatis abundantiâ superamus. Ut enim præclarè S. Augustinus: *Minùs magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est; ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciásq; cùm possis; illius memor exempli, qui in cruce pendens pro suis exorat persecutoribus, suósque admonuit dicens: Diligite inimicos vestros, &c.* Euchir. c. 73.

Tertiò: Quòd ea, in nobis adversantes charitas, multò sincerior, purior, defæcatior sit; eóq; certius indicium nostræ adversùs Deum veræ ac non simulatæ, solidæ & non adumbratæ, dilectionis.

Quippe in amicis diligendis, cùm aliæ plures occur-

rant & offerantur amandi causæ; facilè usuvenire potest, ut in eos non purè DEI respectu, sed vel ob naturalem conjunctionem sanguinis, vel propter morum animorúmve consensionem, vel alijs denique humanis ducti rationibus amorem nostrum ac benevolentiam impendamus: ut tali benevolentiæ sinceritas non immeritò nobis plerumque suspecta esse possit. At in inimicis, cùm, exceptâ DEI divinæq; charitatis contemplatione, omnis alia cesset diligendi ratio; fit, ut illis impensus amor, purior, certior, Deóque dignior, eidémq; proinde acceptior ac jucundior, sit. Idque eò etiam vehementiùs: quòd vel hinc in primis æstimare liceat, quanta vis sit nostræ adversùs eũ charitatis, & quàm animosa & acris sit nostra dilectio; ut quæ instar ignis ingentis, non proximos tantùm complectatur ac corripiat, sed ad eos etiam, qui studijs ac voluntatibus longè à nobis dissident, pertineat atque pervadat.

Postremò: quæ magis intima est, & hujus loci propria ratio: si, ut habent prima disciplinæ crucis elementa, oportet nos afflictiones omnes & injurias, undecunque offerantur, velut DEI dona, & pretiosa Crucifixi xenia suscipere atque exosculari; consequens est, ut ad eos quoque nostra se protendat benevolentia, quorum ea nobis ministerio proveniunt: nihil sanè attendentibus nobis, quanam illi mente aut studio nos exerceant; sed illud unicè contemplantibus, cujus ipsi manus instrumenta sint, aut quo modo in nos affectus sit, qui his administris, tametsi nescientibus aut aliorsum spectantibus, ad gloriam suam & nostrum profectum, sapientissimè atque amantissimè utatur.

Jerem. 25. 27 43. Ita enim DEUS Opt: Max: ore Jeremiæ Nabuchodonozorem non semel servum suum appellat; quòd (ut magis explicat Ezechiel) in urbibus varijs expugnandis castigandisq; populis, suæ (quamvis nescius) providentiæ servierit. *Ezech. 29.* *Isai. 45.* Et alibi ait similiter, sese Cyri Regis, ignorantis licet, ap-

prehen-

prehendisse dexteram, ut eâ scilicet ad sua destinata uteretur, veluti suorum consiliorum administrâ. Quare quod de illo sene in vitis Patrum legimus, qui ejus manum, à quo variè vexatus fuerat, osculis impertiebat moriens; quòd eam diceret, plurium sibi causam bonorum, & cœlestis aditûs aperiendi administram fuisse: id hactenus liceat in usum nostrum deducere, ut & ipsos adversarios nostros, quasi pretiosorum DEI munerum bajulos, gratiâ ac benevolentiâ complectendos putemus, & tanquam ipsam DEI nos exercentis atque erudientis manum, in ipsis agnoscere, & cum veneratione exosculari discamus. *L. 7. c. 3.*

Eodem pertinet, quod de Viro DEI Stephano Abbate refert B Gregorius: *Virtus patientiæ* (inquit) *in eo vehementer excreverat, ita ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogâsset. Reddebat contumelijs gratias. Omnes suos adversarios nihil aliud quàm adjutores æstimabat.* Cui etiam affine est, quod de semetipso fertur sub mortem testatus F. Bernardus de Quintavalle, S. Francisci filius primogenitus: se nimirum fratrem, post acceptam ab eo injuriâ, ampliùs quàm antea dilexisse. *Hom: 35. in Evang:* *Wading. A. 1241. n. 7.*

§. 4.

Alterum ac tertium eandem in rem Christi præceptum.

ALtera huc pertinens, atque ex jam dictis consequens, Magistri nostri præceptio est: *Benefacite his qui oderunt vos.* Si enim, quod ait idem S. Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis:* affirmanda est benefactis, nobis adversantium dilectio; ne legitimâ hâc probatione destituta, charitatis duntaxat umbra, & simulacrum rei vacuum, non res ipsa & veritas, esse videatur.

Atque ut ad eam virtutis absolutissimæ perfectionem nos provocet Magister noster, Patris nostri cœlestis offert exemplum; qui magnificentissimâ bonitate, solaris lucis beni-

benignissimam effluentiam dispensat in omnes, nullo proborum improborúmve discrimine, & cœlestibus item imbribus cæteráq; suâ beneficentiâ, etiam sceleratos, & insometipsum contumeliosos, aspergit: *Ut sitis* (inquit) *filij Patris vestri qui in cœlis est.* Quasi eâ demum conditione vestri futuri DEI filij, & pro legitimis & ingenuis agnoscendi; si in actibus nostris (quod ad rem præsentem attinet) paternæ indolis ac generositatis quasdam scintillas, aut divinæ suæ bonitatis non obscuram imaginem, & tanquam divini vultûs sui expressa quædam lineamenta, recognoverit.

Et sanè divinius nihil est, nihil quo propiùs ad paternam similitudinem accedamus; quàm si, ut est monitum Apostoli, vincamus in bono malum, &, magnificentissimo vindictæ genere, acceptas injurias beneficijs repensis ulciscamur: diciq; possit de homine Christiano, si quâ fortè injuriâ à fratre suo affectus est, quod de Christo S. Ambrosius: *Vulnus inflictum erat, & fluebat unguentum.* Verbo fortassis, aut etiam facto læsus est, & (ut id quoque faciamus) plagam etiam ab inimico luculentam accepit. Vulnus inflictum est, sed fluat unguentum; suavitas pacis, amoris dulcedo, oleum beneficentiæ; ut non modò remittatur offensa, sed (si fieri potest: & quidni possit?) etiam beneficiis maleficio rependatur. Sic etenim sanctus iste Doctor, balsami arbusculæ Christum comparans, quæ compuncta unguentum velut lacrymam emittit: *Sicut & Christus*, inquit, *in illo tentationis ligno illacrymabat populum*, (hoc est, tanquam balsami lacrymâ respergebat) *ut peccata nostra diluerret, & de visceribus misericordiæ suæ fundebat unguentum, dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Tum illud subjungit quod modò laudavimus: *Vulnus infliction erat, & fluebat unguentum, &c.*

Serm. 3. in psal. 118.

Quamobrem plerosque Sanctorum, quorum res gestæ sunt præ manibus, in id solicitiùs incubuisse animadvertimus:

mus; ut si quos sibi specialiter infensos experirentur, eos non communi duntaxat cum cæteris complecterentur benevolentiâ, sed singularibus supra cæteros atque eximijs remunerarent officijs: haud ignari, quantùm in eo positum esset, sive ad majorem cœlestis Patris gloriam (cui id perhonorificum ac perjucundum esse scirent) sive ad perfectam sui victoriam, & Christianæ virtutis absolutionem. Quo in genere (ut alios taceam) memoratu dignum est, quod apud Thaulerum refertur de Virgine quâdam virtutis eximiæ; quæ nimirum sub mortem interrogata, quibus artibus potissimùm ad eam virtutis ac sanctitatis consummationem pervenisset, ingenuè respondisse fertur: tribus hisce rebus sese ad Christianæ vitæ perfectionem esse connixam. Primò enim (ajebat) afflictiones meas nulli nisi DEO questa sum. Secundò: corde semper fui liberalissima, & si quando opere non poteram, voluntatis tamen propensione præstò aderam indigenti. Tertiò: ijs à quibus læsa fui, beneficium singulare rependi, quod non fecissem, nisi ab eis læsa fuissem. Hæc illa. *Instit. c. 31.*

Postrema præceptio: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quod quidem præclaræ cujusdam beneficentiæ genus est, & certum sinceræ dilectionis argumentum. Unde præclarè S. Ambrosius, cùm de dissimulanda ignoscendâve injuria Davidis exemplum commemorâsset: *Est*, inquit, *& aliud justi propositum, longè omnibus perfectius & potentius, intervenire pro persequentibus, & excusare peccantes: quod legimus in Evangelio, dicente Domino JESU, cùm crucifixus esset à perfidis: Pater, dimitte illis, &c.* Quippe id, uti demonstravimus, divinus ille Magister noster, non verbo aut præcepto duntaxat, sed facto quoque atq; exemplo excellentissimè docuit; ut ei speciatim præceptioni, proprij incitamenti gratiâ, adjungi possit hæc ratio: *Orate pro persequentibus vos*; ut sitis discipuli Magistri vestri cœlestis, *serm. 7. in ps. 118.*

lestis, qui in cruce pendens, hujus disciplinæ summus se princeps autor extitit, atque ad eam præsertim discipulos dociles, & imitandi sui studiosos requirit.

Quapropter homini perfectionis Evangelicæ studioso, hoc in re præsenti commendatum esto præceptum: ut quoties nimirum is casus incidet, ut eum quis forsan contumeliâ, opprobrio, damno, maleficio quocunq; afficiat; continuò mente, aut oculis etiam in cœlum sublatis, etiam dum flagrat injuria, pro injurioso precetur DEUM, ne istam ei noxam imputet, quin ei potiùs benefaciat, eiq; de cœlo spiritum bonum impertiat. Quam quidem artem multiplex consequetur utilitas.

Prima: Quòd eâ ratione Domino suo similior futurus sit, qui utique in ipso tempore, quo vis ac furor inimicorum in ipsum ingruebat ut cùm maximè, amanter proijs deprecatus est Patrem; eóq, proinde documento demonstraturus sit, nonnihil sese in Crucifixi schola ac disciplina profecisse.

Secunda: Quòd per eam industriam, continuò mentem ad DEUM convertens, atque ab injuria divertens, injuriam ipsam minùs attendet, minùs sentiet, eóque malliùs feret ac patientiùs.

Tertia: Quòd eo generoso charitatis actu, multùm in DEI ac proximi dilectione stabiliendus atque firmandus sit, ipsámq; divinam benignitatem provocaturus, ut se specialibus beneficijs ac liberalitate prosequatur.

Postrema: Quòd hac ratione, & per hanc (ut S. Paulus appellat) vindictam cœlestem, carbones ignis super inimici caput congeret, eique DEUM conciliabit; quo fit fortassis, ut mente divinitùs immutatâ, avertatur à contumelia, & cum læso redeat in gratiam; qui proinde eo charitatis adversùs lædentem officio, *lucratus erit fratrem suum*, ut Salvator loquitur in Evangelio.

Ep: 2. ad Seb:

Matth: 18.

Qui

Quæ si generatim, & erga quemvis, etiam inimicum, vera sunt, quantò magis adversùs fratrem & DEI amicum, qui te per errorem, imprudentiam, levitatem animi, fortassis etiam nullâ suâ culpâ offenderit; quem utique tecum invenis in visceribus Christi, quem aspicere debes ut templum DEI, filium ejusdem Patris cœlestis, consortem gratiæ, cohæredem gloriæ; in qua sit æternùm suavissimâ tibi charitate, & indissolubili amoris nexu conjungendus?

CAPVT IX.

Christi in cruce morientis imitatio.

§. I.

Imminentem mortem de manu DEI libenter ac promptè acceptare.

AD propositam in hoc capite imitationem, quæ ob rei momentum nobis debet esse commendatissima, non pauca videntur suggeri posse. Quorum primum est; ut Christi Salvatoris exemplo, qui Patri *factus obediens usq; ad mortem*, etiam *inclinato capite tradidit spiritum, ut non necessitate* (quæ verba sunt Joannis Chrysostomi) *sed voluntariè se mori ostenderet:* nos quoque ubi hora illa fatalis advenerit, mortem de manu DEI, veluti Patris amantissimi, libenter ac promptè suscipiamus, divinæq; Legi ac imperio pronam cervicem inclinemus. *Hom. 24. in Matt.*

Nam si ille innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, insuper & naturalis DEI filius, qui proinde nullo mortis debito tenebatur, tamen ut & paternæ voluntati, & immenso suo erga nos amori satisfaceret, pro nobis morti subijci voluit, ejúsque gustare amaritudinem: indignissimum erit profectò, si nos, qui non tantùm naturâ servi,

sed etiam filij iræ sumus, insuper & tam multa peccavimus, mortem tot titulis nobis debitam refugiamus, & non nisi ægro & aversanti animo excipiamus.

Proinde præclarè S. Ambrosius in libro de obitu Satyri fratris, negat moriendi conditionem à nobis recusandam: *cùm ad solatium nostri, filium suum unicum Pater pro nobis tradiderit ad mortem.* Atque *esse magnum pietatis mysterium, ut mors corporis nec in Christo esset excepta: ac licet natura Dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. Quod igitur* (concludit) *majus est solatium nostri, quàm quòd secundùm carnem & Christus mortuus est?*

Præsertim autem, cùm mors, quæ antea magis terribilis ac minax apparebat, ipsâ Christi morte jam quodammodo exarmata sit, ejúsq; stimulus in Christi corpore retusus: eámq; adeo jam non ut interitum, sed, ut vitæ januam, non ut somnum ferreum atrámue noctem nobis incubantem (qualem eam olim sibi fingebant increduli) sed ut brevem soporem, ex quo aliquando in lucem æternam evigilemus, aspicere debeamus. *Miseratione etenim Domini* (iterum pulchrè S. Ambrosius) *cœpit quies esse, quod mors erat; qui nobis soporem mortis vertit in gratiam voluptatis.* Et alio in loco: *Ubi resurrectionis fides est, non mors, sed species quietis est.*

l. 5. in Luc. c. 5.

Ibid. l 6. c. 9.

Ethnici olim, & præsertim Romani, cùm neque Deihominis mortem ante oculos propositam, neque eandem spem atque nos sibi repositam haberent, non nisi inviti atq; gementes, & fata Deósq; incusantes, vitâ excedebant. Unde ille Romanus Sapiens: *Quis* (inquit) *sine querela moritur? quis non recusans, quis non gemens exit?* Neq; modò gementes & recusantes exibant; sed publicâ quoque professione, etiam futuris sæculis suum illum sensum ac questum transmissum volebant, illud sepulchrali marmori, tanquam ex solenni formula inscribentes: *Invitus morior;*

l. 5. de benef. c. 17.

prout

prout in pluribus prisci ævi monumentis videre licet, apud Petrum Appianum, & alios. *Inscript. antiq.*

Propria igitur boni Christiani laus ista est; sui Ducis exemplo libenter mori, & dispari licet commutatione, ei vitam suam promptè reddere, qui ei antea liberalissimè donârit suam. S. Franciscus Asisinas exultat ad mortis nuncium, & venientem blandis salutat verbis, & tanquam sororem dilectam avido stringit amplexu. B. Gertrudis mortem optabat votis omnibus: unde illa frequens ipsius ad Sponsum anteà à nobis memorata suspiratio: *O Domine, quando (te perimente) corpus meum resolvetur in pulverem; & anima mea liberè refluet in te suam originem?* *Vit. c. 14. Wading. A. 1226. n. 22.*

Idem erat sensus B. Catharinæ Adornæ: quæ mortem non (ut passim assolet) sibi depingebat, luridâ, deformi, tetrâ, horridâ specie; verùm eam blandè compellans, suavem, dulcem, bellam, elegantem appellare solebat: in eo uno illam accusans, quòd refugeret quærentes se, insectaretur fugientes. Sed non est hoc loco prætereundus nobis Gerardus ille, S. Bernardi carne & spiritu germanus frater: de cujus obitu sermone quodam verba faciens S. Bernardus, ait illum sub vitæ exitum in istam vocem exultationis erupisse: *Laudate Dominum de cœlis, &c.* tum illa subdit proposito nostro congruentia: *Accitus sum ego ad id miraculi: videre exultantem in morte hominem, insultantem morti. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? jam non stimulus, sed jubilus: jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Hæc S. Bernardus. *Vit. c. 7.* *Serm. 24. in Cant.*

Plures alios, qui ad Christi exemplum (nam hunc, sub excessum è cœnaculo, cùm jam ad mortem properaret, velut voce cygnæâ hymnum decantavisse, receptissima sententia est) & ipsi sub mortem & ascensum in templum cœleste, tanquam Canticum graduum cecinerint, refert Jeremias Drexelius in suo Christo moriente. Ut S. Servulum para- *cap. 1. §. 6.*

l. 4. dial. c. 14. lyticum; qui (teste S. Gregorio) cùm instantem sui exitus horam psalmorum cantu celebraret, auditâ mox angelici melodiâ, ad cœlestes illos choros est evocatus. Ut S. Platonem Abbatem, qui post gloriosa ob defensionem sacrarum imaginum certamina, sub vitæ exitum ad sepulchrum suum deferri voluit eóq; conspecto ac salutato, illis è ptimo verbis: *Hæc requies mea in sæculum sæculi*, ad extremum (ut ait hæc de eo referens S. Theodorus Studita) *ipse funebre canticum sibi ante mortem modulatus est*; illam præcipuè, quoad tenuis vox superfuit, sacri Cantici partem decantans: *Resurgent mortui, & exurgent qui sunt in monumentis, & lætabuntur qui sunt in terra.* Quæ quidem habentur Isaiæ 26. cap: 19. juxta versionem septuaginta. Ut S. Antonium Patavinum, qui moriens erupit in hymnum illum: *O gloriosa Domina.* Ut denique pium Religiosum ex Ordine S. Dominici, Nicolaum nomine, qui (ut scribit Cantipratanus) Brugis Flandrorum ad extrema deductus, & ad se venientem JESUM conspiciens, cantare cœpit: *In Galilæa JESUM videbimus, sicut dixit nobis, Alleluja;* & in eo jubilo expiravit.

l. 2. c. 50. n. 10.

Atque hic est, mi Lector, non sanè postremus Christianæ Philosophiæ fructus; cùm DEUS vocaverit, cùm supremus ille Imperator tabernaculi nostri clavos refigi jusserit, promptè obsequi, de vita libenter, quin etiam hilaritèr concedere. Id quod ut faciliùs consequare, faciendum tibi est, quod parte 2. præscripsimus: ut nempe longâ meditatione, atq; exercitatione magnâ, dum sanus es, ad mortem venturam te compares. Ut enim & hoc dicam cum Seneca: *Venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.* Qui proinde rectè hoc brevi, sed fortis monito, epistolam illam suam concludit: *Tu tamen mori, ut nunquam timeas, semper cogita.*

Ep: 30.

§. 2.

§. 2.

In DEI manus, & Crucifixi vulnera spiritum suum commendare.

ALterum hujus imitationis caput est, ut morientes animam nostram in DEI manus, ipsáq; Crucifixi vulnera atque viscera, amanter fidentérq; commendemus. Ad quod inprimis & valdè conducet, imaginis Christi crucifixi (quæ vel hunc in finem præsertim, ab unoquoque domi habenda est) contemplatio, osculatio, complexus.

Supremus siquidem ac præcipuus imaginis Crucifixi usus est, ut in manus detur, aut ob oculos proponatur morientibus, quo ex illa Domini propter se in cruce morientis contemplatione, dolorem peccatorum, salutis fiduciam, amorem tantæ bonitatis concipiant, ac denique inter crucis oscula, Christíq; complexum expirent, secundùm illud S. Augustini: *Inter brachia Salvatoris mei, & vivere volo, & mori cupio.*

Quem quidem usum vel hinc constat esse antiquissimum: quòd in Prato spirituali cap: 77. Anachoreta quidam, post annos septem ab obitu, memoretur, inventus cum argentea cruce in manibus: quemadmodum & temporibus nostris, in ossibus B. Rosaliæ cum prodigiosa illa petra concretis, inventa fertur parvula Crucifixi effigies, quam sancta Virgo, solitario in specu moriens, appositam ad pectus tenuerit. Et quòd Tractatu de Visitatione infirmorum inter opera S. Augustini (tametsi is S. Augustini non sit) effigiem Crucifixi, venerandam complectendámq; moribundis proponere, recensetur inter exteriora signa, *pigritantis fidei* (prout loquitur is autor) *& compunctionis excitatoria, quæ religio Christianitatis vult observari.* *L. 2. c. 3.*

Unde etiam apud vetustiores divinorum officiorum expositores præscriptum legimus: ut Passio Domini vel ejus pars *Guil: Dur: l. 7. c. 35. Ioan. Beleth. c. 16.*

pars aliqua recitetur ante morientem, si litteratus sit; sitq; crux erecta ad pedes, ut moriens eam cernens, ad majorem compunctionem moveatur.

Quo loco mihi commemoranda succurrit, & merito suo commendanda Ulyssiponnēsis pueri Francisci de Andrada ingenua virtus, & ad moribundorum subsidium peropportuna industria: qui Conimbricæ studiorum causâ diversans, ubi quempiam è vicinitate morti esse propinquum intellexerat, advolabat illico instructus Crucifixi effigie, binisq; cereis (quas res eum in usum ipse sibi comparaverat) iisq; apud ægrum in mensula compositis, ei, quâ arte posset, ad bene moriendum opitulabatur. Qui usus usque eò inter vicinos increbuerat, ut eorum quopiam supremis appropinquante, continuò de puero (sic appellabant) advocando admonerent; qui cum illo suo sacro instrumento apparatúq; adesset morienti. Atque is posteà Societatem nostram ingressus, in ea annis paucis sanctè vixit, & obijt.

Histor. Soc: p. 3. l. 5. n. 232.

Veruntamen, quarum virtutum actibus moribundi, & quâ ratione, circa Crucifixum exerceri valeant, pronum est ex ijs exercitijs discere, quæ huc pertinentia, parte 2. & 3. aliâ occasione tradidimus. Illud solùm agimus hoc loco; ut in Christi complexu atque osculo morientes, spiritum nostrum, ut salvus sit, in eum quasi transfundere, vicissimque ejus divinum spiritum, melioris nempe & immortalis vitæ pignus, in nos attrahere ac derivare studeamus.

Dulce nimirum atque optabile, ultimum spiritum exhalare in osculo Domini: prout de Moyse indicat Scriptura ex quorundam Doctorum versione; qui pro eo quod habet vulgata: *Mortuus est Moyses jubente Domino:* ipsi legunt: *super os Domini*, sive *ad osculum*, vel *in osculo Domini*. Ubi allusum putant ad morem antiquitùs receptum; quo nempe propinqui propinquos morientes osculabantur, eorúmq; ultimum anhelitum ore legebant. Quasi hoc officio

Deus,

Deus, erga dilectum sibi famulum, fungi voluerit, ósque suum ori ejus apprimens, morientis spiritum intra se hauserit, atque exceperit.

Observo autem, ex eo ritu, eos qui maximè conjuncti essent morientibus, eorum ori os adjungere solitos, non modò (quod vulgò notum est) ut flatum extremum, & velut animam morientium ore legerent, ac in se quodammodo transfunderent; sed eò etiam, ut ipsi vicissim suum illis halitum inspirarent, quasi suppleturi deficientibus animam, aut de suo spiritu ac vita, illorum vitam atque spiritum producturi. Idq; (quod mirere) non Ethnicorum modò, sed etiam Christianorum moribus, etiam apud Sanctos usu receptum, ac diu retentum fuisse, ex S. Ambrosio discimus: qui libro de obitu S. Satyri fratris sui, de se ipse scribit in hunc modum: *Nihil mihi profuit ultimos hausisse anhelitus, nihil flatum in os inspirâsse morienti. Putabam enim, quòd aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem.* Et infrà: *Extremum spiritum ore legebam. ut consortium mortis haurirem.* Et rursum: *Atque utinam, si tuam nequivi meo spiritu vitam producere, vel ultimi tui anhelitûs vigor transfundi potuisset in mentem meam, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noster spirâsset affectus.* Hæc Ambrosius.

Memorabile item quod de S. Wolfgango Episcopo Ratisbonensi proditur: eum videlicet, cùm horam ultimã sibi adesse sentiret, evocatum ad se dilectum alumnum Tagmonem (eum qui posteà Magdeburgi Archiepiscopus obijt) jussisse ori suo os componere, & fugientis sui spiritûs inspirationem à Domino accipere, eidem vaticinantem fore, ut post annos decem, aut suis pares, aut certè majores honores adipisceretur. Quasi illi diceret, quod olim S. Macario Magnus Antonius: *Ecce spiritus requievit super te, eriq; mihi deinceps hæres virtutum mearum.*

Baron. ann. 1003.

Vit. PP. L. 8. c. 19.

Quæ

Quæ & similia majori jure ad hominem Christianum in Christi crucifixi complexu atq; osculo morientem transferas; cùm scriptum sit: *Spiritus oris nostri Christus Dominus*: cujus nempe in cruce morientis spiritu in nos hausto atque transfuso, debemus dum vivimus spirare; & cùm nobis expirandum erit, in ejus osculo moriendo, spiritum nostrum illius spiritui conjunctum, in manus Patris, in Filij cor ac viscera, commendare.

Thren. 4.

Moriturus igitur Crucifixi os exosculans, dic illi cum B. Stephano: *Domine JESU, suscipe spiritum meum.* Meum suscipe, quo mihi moriar, & vivam in te: tuum infunde, quò tibi vivam, & vivas in me. Atque in hoc itidem cerbrò exercere, dum sanus es; & inter oscula Crucifixi, velut invicem accepto & reddito spiritu, in Christo spirare, respirare, expirare disce.

Quibus congruit illa Guilielmi Abbatis meditatio, ita Dominum suum alloquentis: *Qui se dulciùs osculantur, mutuos sibi suos spiritus dulciùs infundunt, quorum quibusdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, necnon spue totum spiritum meum, infunde mihi totum tuum.* Quibus ille respexisse videtur ad locum quendam S. Ambrosij libro de Isaac & anima, ubi ita loquitur: *Osculum est enim, quo invicem amantes sibi adhærent, & velut gratia interioris suavitate potiuntur. Per hoc osculum adhæret anima DEO Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.* Sic ibi.

cap. 3.

§. 3.

Lecticuli crucis duritiem (quoad licebit) imitari.

AD extremum juvabit eo in articulo, ad majorem cum Christo moriente similitudinem, quantum morbi status, aliarúmve rerum circumstantia permiserit, aut permi-

jores nostros licuerit; &, si non re ipsâ, attamen saltem desiderio, lectuli crucis duritiem aliqua ex parte imitari.

Vetus & communis Christianorum mos fuit, ut morituri super terram in cilicio aut cinere deponerentur; sive humilitatis & pœnitentiæ gratiâ, sive ex Salvatoris in cruce morientis imitatione.

Ejus rei pauca, de multis, exempla proferamus. Beati Martini notum est, non tantùm exemplum, sed & verbum, cùm diceret: *Non decere Christianum, nisi in cinere & cilicio mori.* Sanctus quoque Anselmus Cantuariensis Episcopus, morti propinquus, in cinere & cilicio positus est. Idémq; legimus de S. Guilielmo Archiepiscopo Bituricensi; SS. Abbatibus Landelino atque Poppone, aliisq;, tum apud nostrum Lacerda in Adversarijs; tum apud Joannem Severanum, libro cui titulus: *Pretiosæ mortes justorum.* Verùm (quod ad majorem lectuli crucis expressionem attinet) S. Hugo Lincolniensis Episcopus, in Ecclesiæ pavimento, sacro cinere in crucis formam consperso, moritur. Ludovicus item cognomento Crassus Francorum Rex, sub mortem pavimentum tapete sterni jussit, & in eo crucis signum ex cinere fieri, super quo jacens moreretur. Atq; in Hispania moribus receptum fuisse, ut Ordinis S. Jacobi milites, cùm in extremis essent, ex lecto extraherentur, & super cruce ex cinere facta, in pavimento morituri collocarentur, testis est Gabriel Vasquez. *Goguin. lib. 6. hist.* *1. 2. d. 162. n. 26.*

At ne hoc quod principio dixi, solis Religiosis, aut etiam certi Ordinis hominibus proprium, non autem cæteris Christianis commune fuisse existimes; audiantur verba Guilielmi Duranti, qui in suo Rationali, in quo Christianos ritus persequitur, velut rem suo ævo vulgarem, & ab omnibus receptam, ita præcipit: *Quando homo videtur agere in extremis, debet poni ad terram super cineres, vel ad minùs super paleas: per quod innuitur, quòd cinis est, & in cinerem rever-* *l. 7. c. 38.*

revertitur. Et sit hoc exemplo B. Martini. Sed & Petrus Venerabilis, Duranto etiam antiquior, & S. Bernardi æqualis, eum morem, licet Religiosis præsertim usitatum, tamen & cæteris quoque Christianis usurpatum fuisse testatur, dum de quodam Monacho moribundo ita scribit: *Cùmque sicut mos est Christianorum, & maximè monachorum, in substrato cilicio ac cinere à fratribus compositus jaceret, atque horam vocationis suæ expectaret, &c.* Qui rursum alibi addit, in medio Infirmorum domicilio locum quendam extitisse, unius corporis capacem, ad hoc aptatum, ut fratres ibidem in cinere & cilicio compositi, extremum spiritum Deo redderent. Atq; pro variorum Cœnobiorum valetudinarijs, hodiéq; videmus ejusmodi loculum è marmore, aliquantùm à terra extantem, quem suspicari possumus antiquitus similem aliquem usum habuisse.

L. 1. mirac: c. 4.

Ibid: c. 19.

Denique, ut nostris propiora tempora attingam; S. Carolo Borromæo, cùm sæpè mori in cilicio & cinere optasset, sub mortem cilicium sacro cinere insperſum impositum est; ut vel sic antiquum Christianorum morem, quem etiam in suo Rituali in usum revocare studuerat, imitaretur.

Verùm in his, ut dixi, magna personarum ac rerum discretione opus est; & plerumque sufficiet, ad eam Salvatoris imitationem, piâ animi propensione ac desiderio aspirâsse. Quanquam eò quoque valebit hæc consideratio; ut moribundus Christianus, Salvatorem suum in crucis lectulo positum, cúmque acerbissimis doloribus, & hos inter, cum siti ardentissima, ob vigilias & inediam, itinerum labores, & cruciatus, profusionem sanguinis, & exhaustas jam omni humore venas, ipsáq; adeo cum morte luctantem aspiciens, eâ contemplatione ac dolorum suorum cum ejus doloribus comparatione, soletur durioris strati situsve diuturni molestias, morbi incommoda, mortisq; instantis angores; gaudeátque, vel hac ratione offerri quiddam, quo aliquan-

ex parte imitari possit DEUM suum, in præduro ligno, non jam jacentem, sed clavis confixum trabalibus, inter angores longè crudelissimos, expirantem.

§. 4.

Ad præsidium Matris DEI eo in articulo studiosiùs confugere.

HAnc antedictis velut appendicem subnectimus, neque abs re, uti videbitur; verùm id postulante, aut permittente sanè, ipsâ argumenti hoc capite propositi ratione.

Ac primùm quidem; Augustissimam DEI Matrem, potens esse in morte præsidium, ejúsq; proinde patrocinium ac tutelam, ijs qui se salvos atque securos extremo tempore esse velint, solicitiùs exquirendam, ac studiosiùs demerendam; constans est sensus SS. Patrum, fidelium usus, & Ecclesiæ traditio. Quod autem (ut præsens locus postulat) id impensiùs faciendum imitatione Christi significem, quasi ipse quoque Redemptor noster eo in articulo ad materni nominis gratiam confugerit, ejúsve apud DEUM merita in causam suam allegaverit; id alienius & duriusculum videri potest.

Neque id sanè hoc ego loco proponerem; nisi ei quidem cogitationi vehementer faventem S. Augustinum, & tantùm non id ipsum apertè profitentem, haberemus. Nam is psalmum exponens octogesimum quintum, tum reliqua istius psalmi de Christo intelligit, ut ejus sint voces in tribulatione & passione positi, & Patrem de sua liberatione interpellantis; tum verba illa nominatim ipsi Redemptori eo in articulo attribuit: *Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.* Hoc est (ut ibidem ipse exponit, etiam cum S. Ambrosio) filium Virginis MARIÆ. Ita enim ibi loquitur S. Augustinus: *Dominus filius ancillæ. Dominus filius ancillæ. Cujus ancilla?*

Ps. 85.

L. 2. de fide c. 3.

cillæ? Cui nasciturus quando nunciatus est, respondit & ait: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. Salvum fecit filium ancillæ suæ, & filium suum: Filium suum, in forma DEI; filium ancillæ, in forma servi. Et salvatus est à morte, sicut nostis, resuscitatâ carne suâ, quæ mortua erat. Hæc Augustinus.

Ex hujus igitur S. Doctoris sententiâ, imminentis mortis occupatus angustijs Salvator (dum se ab omnibus, & ipso Patre quodammodo, derelictum conspicit) allegandis putavit apud Patrem, quòd esset MARIÆ filius; ut eum vel isto respectu ad sibi subveniendum flecteret; perinde atque si diceret: Tu quidem me, Pater, in istis angustijs deseris; & quasi te Patrem oblitus esses, *mutatus es mihi in crudelem*: veruntamen si nihil te movet, quòd filius tuus, & unigenitus tuus ego sim: at valeat apud te matris meæ tibi dilectissimæ gratia. *Salvum fac filium ancillæ tuæ MARIÆ.*

Job 30.

Quod tamen non sic ab eo factum dictúmve recipiamus, tanquam ad aliquid à DEO Patre impetrandum, maternis meritis aut gratiâ apud eum indiguerit: quippe Christi Redemptoris merita cuilibet dono aut præmio erant ipsi per se sufficientia, & ipse tanquam Unigenitus, apud Patrem unicè gratiosus. Sed nostrâ nimirum intererat, explicari vim Marianæ gratiæ, eóq; exemplo nos informari, quantum in illius patrocinio momenti in omni nostro discrimine, & præsertim in illo extremo vitæ actu, constituere debeamus. Ut hîc valeat, quod in simili Christi facto usurpat S. Ambrosius: *Imitandi specimen dedit, non precandi ambitum requisivit.*

L. 5. in Luc: c. 5.

Tanto igitur instructi documento, ipsam DEI Matrem bonæ mortis præsidem ascifcamus; eam crebrò impensiùs rogantes, ut veluti filio suo morienti sedulò astitit; ita nobis in hora mortis piè dignetur assistere, animæq; nostræ in suo è corpore egressu, qui velut quidam ad æternitatem e-

nixus ac partus est, obstetricis instar, laboranti opem ferre: quod equidem munus ipsa de se professa est, sese erga Carolum S. Birgittæ filium morientem exercuisse: aut etiam, ut instar parentis, quos per vitæ mortalis tenebras, clientelæ suæ tanquam utero protexerit, in lucem denique claram emittat sempiternæ felicitatis. *L. 7. Rebel: cap: 13.*

Quam in rem extat utilis libellus, à quodam è nostris Patribus in Germania non semel editus hoc titulo: *MARIA agonizantium Mater;* ubi plurimis exemplis ostenditur, quantâ sedulitate Mater illa viventium clientibus suis, in supremo illo rerum cardine, subvenire soleat; & quibus potissimùm officijs tantopere nobis necessarium præsidium liceat promereri. Ita enim habeto, mi Lector, Beatissimam Virginem, tametsi neminem seriò ad se confugientem unquam destituit, ijs tamen certiùs præsentiúsq; in morte subventuram, qui eam in vita peculiari studio constantíq; fide coluerint, ejúsq; opem, in eam horam decretoriam, quotidianis votis, cum amore & fiducia, expetierint.

CAPVT X.

Status Religiosus, peculiaris Christi crucifixi imitatio.

§. 1.

Hominis Religiosi cum Christo crucifixo comparatio.

REligiosum hominem expressam esse Christi crucifixi effigiem & simulacrum, passim obvia est SS. Patrum sententia. Quippe qui vel Religiosorum vitam, vitam crucifixam seu crucifixorũ appellant (quo etiam nomine usum invenio S. Bernardinum Senensem, dum de ea loquitur Filij DEI admirabili exinanitione, quâ factus est homo, ærumnis nostris

Serm. 6. de B.V. a.1.c.1. nostris obnoxius, & (ut ait) *pœnas acerbissimas pro peccatis omnium subiturus, & exemplar vitæ crucifixæ omnibus præbiturus*) vel certè verba illa Pauli, specialiter ac propriè Religiosis accommodant: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; uti videre est apud Julium Nigronium, in commentario ad Regulas communes Societatis. *Reg: 4.n.14.*

Quapropter & S. Franciscus, in suæ ad DEUM conversionis initijs, & primis quasi vitæ religiosæ rudimentis, cùm patre urgente, ut paternis bonis cederet, coram Episcopo Assisiate omnem etiam vestitũ rejecisset; oblatam sibi pauperem rusticani hominis lacernam gratanter accipiens, eam cæmenti, seu (uti conijcio) arenati calcísve frusto *ad modum crucis manu propriâ signavit, operimentum formans ex eo* (inquit S. Bonaventura) *crucifixi hominis, & pauperis seminudi.* Neque verò obscura crucis & religiosi Statûs; hominis crucifixi, & religiosi analogia. Nam in primis status aut vita religiosa, ipso suo genere, dura crux est; cùm multa ferat quæ crucient, ejúsq; summa sita sit in rebus difficillimis, compressione cupiditatum, abnegatione sui, constanti ac laboriosa magnarum virtutum exercitatione. Nam si verum est illud S. Augustini: *Totam vitam hominis Christiani, si secundùm Evangelium vivat, crucem esse & martyrium:* quantò magis crux erit hominis religiosi vita, qui Christum propiùs imitandi studio, non præcepta tantùm Evangelica (veluti qui DEO in communi vita serviunt) verùm etiam consilia, ex suscepto vitæ instituto, sectetur? *Serm: 32. de SS.* In quem proinde singulariter quadret illa Christi vox: *Si quis vult post me venire* (per expressionem videlicet vitæ, ac mortis meæ imitationem) *abneget semet ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* *Matt: 16.*

Unde etiam S. Theodorus Studites, Religiosorum vitam, Staurophoron, seu cruciferam, appellavit. Expressiùs autem Petrus Blesensis, statum obedientiæ & pœnitentiæ, *Serm: 9.*

tiæ, docet esse crucem illam, quam verbis citatis Christus commendet; & in qua, ex ejus imitatione, ad mortem usque perseverandum sit, tametsi fortassis dæmon, caro, mundus obstrepant, & occlamitent: Descende de cruce. Similiter autem Guilelmus Abbas S. Theodorici, meminit crucis professionis religiosæ, cujus verba mox citabimus paragrapho sequenti. In quem etiam sensum conspirans, vir rerum spiritûs experientissimus M. Joannes Avila, cùm duos è sua disciplina Societati nostræ transmitteret, eósque nonnullis præceptis spiritualibus communiret, ita eis præcepit inter cætera: *Existimate vos ire ad crucem, & animo ite sic præparato, ut causa nulli velitis esse querimoniæ; sed quidquid vobis ex quolibet accidat, id pacatè feratis ac libenter.* Deinde Vir Religiosus, homini crucifixo, adeóq; Christo patibulato, in multis perquam similis est. Ut enim disputat Abbas Pinufius apud Cassianum l. 4. de Institutis renunciantium, hoc est, Religiosorum: *Eo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere.* Atque in his maximè consistit illa Religiosi & crucifixi similitudo.

Hist. Soc. p. 1. l. 14.

l. 4. c. 34.

Primò: quòd sicut homo crucifixus tribus quatuórve clavis cruci suæ stabiliter figitur, ut nullo conatu se refigere aut revellere possit: sic iste tribus religiosis votis, aut etiam quatuor (pro varia Instituti ratione) cruci suæ mysticæ ita confixus & adstrictus est, ut ab ea jam nullo animi motu aut arbitrio valeat separari.

Qui, citra votorum obligationem, consilia sectantur Evangelica, & mortificationem Jesu in carne sua circumferunt, amplectuntur crucem illi quidem, possúntq; virtutis studio, ipsáque perfectione vitæ, Religiosis compluribus præstare: attamen (uti nunc loquimur) cruci suæ confixi non sunt: quippe qui susceptam vitæ rationem possint pro voluntate deponere, atque ita sese à crucis amplexu divellere.

lere. Id quod cùm ijs minimè liceat, qui cruci Evangelicæ votorum clavis indissolubiliter affixi sunt; hi demum videntur speciali modo esse expressæ Christi crucifixi imagines; si tamen suæ professioni respondeant, & crucem Christi, non solâ habitûs aut statûs religiosi susceptione, sed perfectâ sui abnegatione, vitiosarúmq; cupiditatum mortificatione, repræsentent & exprimant.

Secundò: In eo, quòd, sicut homo crucifixus, non tantùm non potest se cruce suâ eximere, sed neque manibus pedibúsve liberè uti, aut per se quidquam moliri operis, sive (ut loquitur modò laudatus Pinufius) *non jam pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem: ita nos* (subdit) *voluntates nostras ac desideria non secundùm id quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundùm Legem DEI* (adeóq; & motum religiosæ obedientiæ) *quo nos illa constrinxerit, applicare debemus.*

Tertiò: Et sicut is (pergit idem Abbas) *qui patibulo affigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non de crastino solicitudine curâq; distenditur, nec de præsentibus dolet injurijs, non præteritorum jam recordatur, sêq; dum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum: ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, hoc est, non solùm carnalibus vitijs, verùm etiam ipsis elementis, mortuos esse.*

Nimirum ut homini patibulato nihil est cum mundo elementísve commercij; cùm & eum omnes refugiant, horreant, abominentur; neque ipse quicquam ab ullo expectet sperétve, ut qui etiam spirans, quodammodo de mundo sublatus est: ita homini Religioso (si suis ritè viventi legibus) nihil superesse cum isto mundo negotij, ut qui iam in cruce professionis suæ se quasi à terra sublatum, & ab omnibus rerum, quibus fruitur mundus, sejunctum, ipsiq; mundo se præmortuum aspiciat.

Hinc

Hinc etenim etiam Joannes Svidas, Monachorum Statum ac vitam definire volens; cùm ex Dionysio Areopagita de ijs multa prædixisset, rem denique his verbis absolvit. *Hi igitur Monachi denominantur, quorum hoc est opus, ut ante mortem migrent è corpore, & viventes sint mortui; & sapienti quadam insaniâ ad præstantiora transeant.* Solis videlicet divinis rebus intenti, atque ab his, quas passim alij tanto studio sibi quærendas existimant, abstracti ac liberi. At de hoc aliquid dictum est suprà, cùm de homine mundo crucifixo, mortuo, sepulto ageremus; & nunc jam aliqua eodem facientia, & usibus nostris propiora, subjungemus.

Verbo: Monachos.

§. 2.

Specialia quædam consectaria ex dato principio eruuntur.

EX his quæ modò magis universè præstituimus, descendere licebit ad præcepta quædam specialia; quæ licet maximè Religiosos respiciant, tamen & his quoque, qui quovis in statu Christi crucifixi imitationem profiteantur, videntur nonnihil allatura esse utilitatis. Præsertim autem, cùm, referente Cæsario, Christus ipse generatim aliquando revelaverit; devotos passioni suæ, tribus clavis esse crucifixos, humilitate, patientiâ, obedientiâ; malleum autem quo id peragatur, esse desideriũ gloriæ, & timorem inferni.

l. 8. c. 18.

Primum igitur hoc præceptum habe, Religiose Lector: Ad perpetuam pacem animi, æquitatémq; inter incommoda religiosæ vitæ retinendam, utile in primis opportunúmque fore; si ex memorato Joannis Avilæ monito, ita à principio persuasum habeas, atque in reliquum menti impressum retineas: te ad Religionem tanquam ad crucem venisse. Ita quippe animo comparatus, nihil admodum commoveberis, opinor, si in ea cruce quam adamâsti, disciplinæ

næ gratiâ ſeveriùs paulò diſtenderis, ſi pulſaris, ſi pungeris, ſi denique in ipſa cruce cruciatum, & (quando hoc quoque exigit ipſa crucis ratio) ſpeciem quandam mortis inveris. Quid enim aliud expectandum eſt Crucifixo, niſi vulnerum morſus, dolores mortis, & totius hominis, id eſt, non membrorum exteriorum duntaxat, ſed ipſarum quoque animæ virium, acerba mortificatio?

Secundum: Proinde etiam expediet interdum, maximè ſi quando, ſive ex conſueta inſtituti ſuſcepti auſteritate, ſive ex proprijs ac minùs gratis Majorum juſsis, aliquis tædium mœror occupaverit, temet ipſum ut figures animo, tanquam ad Chriſti crucifixi modum ac formam, in ſeveriori diſciplinæ cruce diſtentum, & manus ac pedes votorum clavis transfixum, ſpinis etiam coronato capite, hoc eſt, molestiarum anxietatúmq; obſepto aculeis, quas permultas parturit Religioſæ vitæ exercitatio: ſuper hæc, amoris lanceâ confoſſo latere, & corde cum Chriſto convulnerato.

Fallor enim, niſi hæc commentatio multùm molliet, abſtergétve mœrorem tuum, forſitan & in vicem mœroris ſuccedet animo lætitia, geſtienti utique ad eam ſpeciem, & iſtam cum Chriſto crucifixo affinitatem ſibi gratulanti, & centiq; audenter cum Apoſtolo: *Chriſto confixus ſum cruci*; idq; unum dolebis denique, quòd ea crux tua nimiùm ſcilicet delicata ſit, ad Domini tui acerbiſſimam crucem comparata. Quemadmodum ſimul geſtientem, ſimul animo confuſum video Guilelmum Sancti Theodorici; dum in ſimili quadam meditatione Chriſtum crucifixum ſic alloquitur: *Concrucifixus tibi ſum, Domine JESU, utcunque cruce Profeſſionis: ſed de crucis meæ delicijs contemplans paſſionem crucis tuæ, clavis timoris tui confixus, confundor & intus contabeſco, non ex dolore crucis meæ, qui ex gratia tua jam mihi nullus eſt, &c.*

Tertium: Similiter in religioſorum votorum obſervantia

vantia, si quâ (ut assolet) animum tuum vellicatio aut doloris sensus incesserit; memento has esse punctiones clavorũ, quibus carnes tuas, Dei timore, & amore Christi, cruci religiosæ voluntariè confixeris: eáq; proinde charitatis esse stigmata; ita in rem nostram aptè admonente S. Ambrosio: *Serm. 15. in psal. 118.* *Non te ergo offendat duritia clavorum, quia est duritia charitatis.*

Quartum. Et istud expediet inditum animo, altéque impressum habere: religiosam crucem, eò tibi, si nondum dulcem, at tolerabiliorem certè futuram, si in silentio & spe cuncta sustinens, in ea quàm minimùm te commoveris.

Quemadmodum enim qui crucifixus est, si fortè levamenti desiderio manus aut pedes commoverit, id quidem ad nihil est utile, nisi ut pendentis amplificetur dolor, plagis videlicet eo concussu, affrictúq; clavorum exacerbatis: eundem in modum mystico nostro Crucifixo usuvenire; ut cùm jam *obedientiæ clavis* (uti Petrus Blesensis loquitur) cruci suæ confixus & adstrictus sit, pro arbitrio suo membra movere, nisi ad dolores, non possit. Id ita agente providentiâ, ut qui à religiosa obedientia, hoc est à divina se voluntate dimoverit, solatij vice tædium & amarorem inveniat, ut & hîc verum sit illud S. Augustini: *Quaquaversum se vertit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te.* *l. 4. Conf. c. 10.*

Quintum: Ad perfectionẽ religiosæ obedientiæ quod attinet; juvabit & quandam S. P. Ignatij cogitationem, ab hac quam tractamus non multùm abludentem, huc adjungere. Nam is, anno qui supremum ejus vitæ præcessit, cùm quædam exactè obediendi præcepta dictaret, inter alia hoc admonuit: Verum obedientem perinde se habere debere, non modò ac si cadaver esset, aut senis baculus (quibus exemplis item usus fuerat in suis Constitutionibus) sed etiã *velut parvula effigies Crucifixi, quæ sine ulla difficultate, verti* *Hist: Soc: p. 2. l. 7.*

se quamcunque in partem finit. Quod ego dictum sic accipio: ut quanquam ad obedientis meritum, & majorem cum supremo illo obedientium exemplari similitudinē demonstrandam, magis valeat ista, quam hoc capite instituimus, Religiosi cum homine crucifixo comparatio; quippe qui spirans in cruce pendeat, & se mori sentiat, & voluntarii malorum suorum patientiâ magis imitetur passionem Domini sui: tamen cùm de prompta & jussis nusquam obsistente obedientiâ propriè agitur, rectissimè censeam pronuntiâsse S. Ignatium: Verum obedientem inanimo, & sensus experti Crucifixi sigillo, eiq; parvulo, atque eapropter faciliùs tractabili ac mobili, similem esse debere. Quanquam vel hoc ipso, quòd nominatim effigiei crucifixi meminit, haud obscurè simul indicaverit, eam animi obedientis facilitatem, & indifferentem ad quælibet, humilia juxtà ac splendida, aspera ac suavia, mobilitatem, non sine sanguine atque dolore, nec sine prolixa malorum complurium ad mortem usque patientia (quâ is Domino suo Crucifixo similis reddatur) futurum esse.

Sextum: Cæterùm, quoniam crucis mysticæ clavos, ipso corporis pondere aut motu, subinde luxari laxarive contingit; hoc est, hominem Religiosum, ipso carnis pondere prægravante, erga statum susceptum minùs affici, atq; in studio religiosæ vitæ vacillare: eam ob rem multùm utilis & conducibilis est, sive publica statis temporibus (ubi ita lex aut usus tulerit) sive privata quotidianáq; religiosi Sacramenti instauratio. Hæc enim (si modò seriò diligentérq; peragatur) instar est mallei spiritualis; quo votorum clavi, quibus cruci nostræ confixi sumus, adiguntur altius atque firmantur, ut ne temerè possint deinceps inde commoveri: uti pluribus demonstrat Nigronus noster loco citato, qui est ex professo de ea votorum renovatione.

Postremum: Ultimo loco id adjungimus; hanc ipsam de

de cruce religiosa cogitationem, ad increpandum torporē nostrum, nósq; ad impensius mortificationis abnegationísque studium concitandos, admodum esse opportunam.

Quo modo legimus in Societatis historia, hominem Dei P. Franciscum Villanovam, his se velut stimulis frequenter excitare & increpare solitum: *Villanova, ad quid venisti? Veni* (respondebat) *ut crucifigerer. Veni, ut alienas noxas, & quosvis tolerarem angores. Veni, ut pacem animi reperirem. Ubi autem? in penuria, in alienorum tolerantia delictorum, in calamitatibus, in secundis rebus juxtà atque adversis.* Sic ille. Quo pacto proclive erit studioso Ascetæ, ex ea ipsa cogitatione plura his affinia eruere, sive tædij solatia, sive ad virtutis contentionem, incitamenta.

P. 2. l. 1. n. 132.

PARS